MASTER NEGATIVE
NO. 93-81405-2

AUTHOR:

PERTSCH, ERICH

TITLE:

DE VALERIO MARTIALE GRAECORUM...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1911

Master Negative #

93-81405-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Pertsch, Erich, 1889- De Valerio Martiale Graecorum poetarum imitatore. Adiecta est mantissa interpretationum. Berolini: Trenkel 1911. 68 S. 8°

Berlin, Phil. Diss. v. 12. Aug. 1911, Ref. Norden, v. Wilamowitz-Moellendorff

[Geb. 25. Aug. 89 Berlin; Wohnort: Gr.-Lichterfelde; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Gymn. Gr.-Lichterfelde Reife O. 07; Studium: Berlin 8 S.; Rig. 1. Juni 11.] [U 11. 290

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/12/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Nr. 2

DE VALERIO MARTIALE GRAECORUM POETARUM IMITATORE.

ADIECTA EST MANTISSA INTERPRETATIONUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE ET CONSENSU

IN

LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERICUS PERTSCH

BEROLINENSIS.

Promotio sollemnis habebitur die XII. mens. Aug. anni MCMXI

In aedibus R. Trenkeli, Berolini.

MCMXI.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt:
Prof. Dr. **E. Norden.**
Prof. Dr. **U. de Wilamowitz-Moellendorff.**

Julio Wassnero
philosophiae doctori
collegii regii
quod praeest rebus scholasticis Brandenburgensibus
sodali praeclarissimo
sacrum.

Conspectus.

A. Prolegomena.

B. De Graecorum epigrammatum argumentis.

C. De ornamentis rhetoricis.

Conspectus.

A. Prolegomena.

B. De Graecorum epigrammatum argumentis.

C. De ornamentis rhetoricis.

Appendix: Quatenus Martialis singula carmina ordinaverit.

A. Prolegomena.

prooemium.

Quamquam complures viri docti de Martialis poetae auctoribus sollerter ac diligenter disseruerunt [1]), tamen restat, ut quae vestigia Graeca inveniri possint ostendatur. etsi iam ante Martialem poetae fuerunt nonnulli, qui epigrammata scripserunt, tamen cum poemata eorum aetatem non tulerint, nomina tantum nobis servata sunt pauca. quae cum ita sint, fieri potuisse statuendum est, ut multi *τόποι*, quos apud Graecos epigrammatistas invenimus, etiam illi Romani poetae usurparent.

sed cum hos fontes perquirere fortunae invidia nobis denegatum sit, in Graecis epigrammatis perscrutandis acquiescendum est.

§ 1.
de Brutiano.

cum Martialis summa sinceritate exempla Romana commemoret, etiam quantum Graecis debuerit epigrammatis, eum dicere exspectamus. nominatim quidem neminem affert nisi Callimachum et Brutianum. quo hos magistros suos fuisse confitetur, epigramma totum mihi liceat exscribere: IV 23.

«Dum tu lenta nimis diuque quaeris,
quis primus tibi quisve sit secundus,
Graium quos epigramma comparavit:
palmam Callimachus, Thalia, de se
facundo dedit ipse Brutiano.
qui si Cecropio satur lepore
Romanae sale luserit Minervae,
illi me facias, precor, secundum.»

de hoc epigrammate interpretando disseruit Koestlinius in Philol. XXXVI p. 269. sed quaerendum est, utrum ille Brutianus vixerit an nomen a Martiale fictum sit, ut se non primum, sed secundum epigrammatistam nominaret. quod an non concedendum sit haud scio, praesertim cum Martialis eis temporibus (anno p. Chr. n. 88) iam a plurimis, quin etiam a Domitiano summis laudibus elatus gloriam

[1]) cf. quae Friedlaender ed. M. (1886) I, p. 24 sqq. 132—133 collegit.

suam pronuntiare omnino non veritus sit[1]. sed si Brutianum fuisse ponimus, permirum primo obtutu videtur esse, quod non modo non epigrammata eius ad nos tradita sunt, sed etiam a nullo auctore, ne a Martiale quidem alibi nomen eius commemoratur. perspicuum igitur ut iudico est Martialem hoc loco, uti facere consuevit, illum virum idcirco laudibus illustrasse, ut blanditiis ei togam vel sportulam vel alia eliceret.

§ 2.

de Callimacho.

sed haec hactenus. quomodo autem res se habet de Callimachi exemplo? plane res mea quidem sententia non potest diiudicari, praesertim cum non admodum multa nobis servata sint eius epigrammata atque in eis, quae adsunt, non insint carmina irrisoria. tamen iam hoc loco quae apte cum Martialis arte conferantur, explicabo[2].

sepulcralis carminis parodia A P VII 317 (Wil 4), 318 (num genuinum?) cf. p. 50.

comparatione epigramma finitur AP VII 277 (Wil 58) cf. p. 41.

lucerna ipsa loquens fingitur A P VI 148 (Wil 55) cf. p. 33.

anaphora persaepe summa arte adhibetur, interdum ita, ut totum colon repetatur A P V 23 (W 63), V 6 (Wil 25), XII 51 (W 29), XII 43 (W 28), XII 71 (W 30), XII 139 (W 44), XII 149 (W 45), VII 89 (W 1) cf. p. 48.

metonymia pro aqua usurpatur: *Ἀχελῷος* A P XII 51 (W 29, *νύμφα* VII 170 (Plan: *Ποσειδίππου*, codd. Pal. utrumque praebent nomen. Wilam. suppositicium putat, Stadtmueller: „neutri poetae ep. satis convenit.“ ego quidem diiudicare non audeo.) — Mart. VI 43,2 cf. Frdl. ad M sp. 12. cf. p. 40.

Glauci et Diomedis arma permutata paroemiace adhibentur A P VI 310 (W 48) — M IX 94 cf. p. 28.

Orestes et Pylades metonymice pro veris adhibentur amicis A P XI 362 (W 59) cf. p. 40.

[1]) cf. III 95,7.

[2]) Martialem X 4,12 Callimachi *Αἴτια* in malam partem commemorare minime refert. nam similiter eum Catulli elegias tumidas atque obscuras II 86,4. repudiare constat:

«nec dictat mihi luculentus Attis
mollem debilitate galliambon
(9) turpe est difficiles habere nugas
et stultus labor est ineptiarum.» e. q. s.

etiam hoc non ita magni ut opinor est momenti, quod Martialis eodem carmine dicit (3) «nusquam Graecula quod recantat echo» et re vera in Callimachi epigrammatis exemplum huius generis invenitur (A P XII 43 = Wil 28).

hyperbolice Callimachus se amatorem, qui puero viso contabuit, non iam posse cognoscere fatetur. similiter M XI 101 cf. p. 44.

de ambigua verborum vi iocatur A P VI 301 (W 47) cf. p. 46.

duo inveni epigrammata, quae in acumen ita cadunt, ut figura quam vocant *παρὰ προσδοκίαν* fiat: A P XII 51[1]) (W 29) XI 362 (W 59) cf. p. 57. —

§ 3.

de Gaetulico.

iam ut exponamus restat de Gaetulico. quaeritur enim num quem Martialis in primi libri prooemio commemorat, idem sit atque Anthologiae Palatinae epigrammatista. atque primum quidem afferam verba, quibus Martialis Gaetulici vestigia se secutum esse ingenue confitetur:

«*Lascivam verborum veritatem, id est epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gaetulicus, sic quicunque perlegitur.*»

animadvertendum est Martialem Gaetulico remoto solos Romanos poetas attulisse et ex verbis Gaetulicum Graeca composuisse epigrammata non posse colligi. ceteri quoque qui Gaetulicum memorant scriptores nil de hac re tradunt. res cum ita se habeat, epigrammata Gaetulici, quae sunt in Anthologia Palatina, perscrutari opus est, ut perspiciamus, num ab hoc poeta similes *τόποι* adhibiti sint atque a Martiale. etsi de hac re recte iudicare non poterimus, priusquam quos *τόπους* Martialis in suum usum vocaverit cognoverimus, tamen uti in Callimachi epigrammatis tractandis fecimus mihi liceat iam nunc de hac re disputare. Gaetulici illius haec sunt epigrammata quae in Anth. Pal. inveniuntur:

A P XI 409 epigramma irrisorium in Silenida vinosam. idem argumentum ad suum usum transfert Martialis compluries, veluti I 87 et V 4. ad hoc respiciendum est Silenida nomen propter mulieris ingenium esse fictum (cf. p. 48) neque dissimiliter Martialis grammatice iocat de Libero nomine IX 72. contra minime refert, quod et Gaetulicus et Martialis nomine Bacchi metonymice pro vino utuntur. propono locos, quibus Martialis hunc *τρόπον* adhibet: V 78,18. XIII 39,1. 119,1. (Lyaeus: XIII 114,1; 118,1.) cf. Frdl. ad. sp. 12.

A P V 17 (Stdm 16)[2]) *ἀναθηματικὸν εἰς ἑταίραν*. poeta ab

[1]) simillima est figura *παρ. πρ.* ap. Ar. Vesp. 930: ‚*ἐὰν δὲ μή, — τὸ λοιπὸν οὐ κεκλάγξομαι.*‘

[2]) valde dolendum est, quod in exemplis ex A P V afferendis binos adscribere opus est numeros, cum Stadtmueller quod antea primum propositum erat prooemium extra ordinem inseruerit paginarum.

Venere petit ut se integrum ad puellam amatam pervenire sinat. non sine acumine hoc carmen est, cum in ambiguitate verborum *κόλπος* et *ἱστός* obscaene ludatur. quem lusum quamquam Martialem persaepe adhibuisse constat, tamen Martialis epigramma, quod cum illo comparetur non inveni.

VI 190 Leonidas liberatus morbo Veneri exigua dona dedicat. in hoc carmine nil inest, quod aliquam cum Martialis epigrammatis similitudinem praebeat, nisi putas verba: (2) «*λιτὰ τάδ' ἐκ λιτοῦ δῶρα Λεωνίδεω*» [1]) lusus verborum comprehendere formam, quam valde amavit Martialis.

neque in Gaetulici epigrammatis VI 331; VII 244; VII 245 quod cum Martiale conferendum esset, mihi perscrutanti contigit, ut aliquid magni momenti in lucem proferrem. restat ut de AP VII 71 et VII 275 perpauca proponam.

VII 71 in tumulum Archilochi carmen sepulcrale. quod epigramma verbis:

(5) «*ἠρέμα δὴ παράμειψον, ὁδοιπόρε, μή ποτε τοῦδε*
κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφεζομένους.»

quam Graeci dicunt *παρῳδίαν* videtur praebere eorum carminum, quibus in Sophoclis tumulo lusciniam sedere poeta narrat.[2]) hanc figuram rhetoricam etiam Martialem nonnumquam adhibuisse infra docere instituemus (cf. p. 50).

transeo ad extremum Gaetulici carmen nobis servatum VII 275. etiam hoc carmen sepulcrale est, cuius cardo ultimo in versu positus est:

«*τὴν ψεύσταν δέ με τύμβον ἐπὶ χθονὶ θέντο. τί θαῦμα;*
Κρῆτες ὅπου ψεῦσται, καὶ Διός ἐστι τάφος.»

quod Martialis proprium esse nemo ignorat. argumentum autem huius comparationis invenies apud Martialem IX 34:

«Iuppiter Idaei risit mendacia busti.»

ex carminibus igitur Gaetulici ad nos delatis, ut omnia comprehendamus, etsi nonnulla cum Martialis epigrammatum argumentis et componendi ratione vidimus congruere, tamen Martialem illius imprimis carmina in suum convertisse usum colligi non potest. adiciendum est Martialem Gaetulici nomine apposito lasciviam suam excusare habuisse in animo. sed illa Graeca epigrammata quanto opere absunt ab obscaenitate et lascivia mimica. itaque recte coniecisse viros doctos putamus, qui dixerunt Gaetulicum a Martiale commemoratum Romana sola composuisse epigrammata, non Graeca [3]).

---

[1]) cf. Callim. ep. AP IX 336 (W 24):
«*ἵδρυμαι μικρῶι μικρὸς ἐπὶ προθύρωι.*»

[2]) hoc monet Jacobs a. l.

[3]) Jacobs Anthol. Graeca 13, p 896. Teuffel Roem. Litt. 1910 [6]II, p 235 adn 1 (§ 291). reicienda est sententia, quam Klebs protulit in Prosop. I 455.

§ 4.
quomodo Martialis Graeca exemplaria commemoret laudibusque efferat.

nunc mihi liceat quae repperi exempla proponere, quibus Martialem, etsi non nominatim affert quos secutus sit auctores, tamen Graeca carmina permagni aestimare eorumque vestigia pressisse colligendum est:

IV 86 Martialis librum adloquitur hunc in modum:

«Si vis auribus Atticis probari,
exhortor moneoque te libelle,
ut docto placeas Apollinari.
nil exactius eruditiusque.» etc.

I 25 Martialis amici poemata laudat in haec verba:
«Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos
et cultum docto pectore profer opus,
quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces.» e. q. s.

III 20,8:

«an otiosus in schola poetarum
lepore tinctos Atticos sales narrat?»

I 39: M. de amico Deciano loquitur:

(5) «si quis Cecropiae madidus Latiaeque Minervae
. . . .
(8) dispeream, si non hic Decianus erit.»

VII 69: Martialis feminam quandam doctam praedicat:

(1) «Haec est illa . . .
cuius Cecropia pectora voce madent
. . . .
(5) vivet opus quodcumque per has emiseris aures,
(9) carmina fingentem Sappho laudarit amatrix . . .»

ex carmine vero IX 11 pro certo colligendum est Martialem re vera Graecum carmen in Earinum factum habuisse ante oculos:

(13) «dicunt Eiarinon tamen poetae,
sed Graeci quibus est nihil negatum
et quos *Ἆρες Ἄρες* decet sonare,
nobis non licet esse tam disertis,
qui Musas colimus severiores.»

sed his verbis nolim concludas Martialem Graecos propter neglegentiam reprehendere, sed non ignorare illis propter facilitatem linguae licentias sibi sumere licere, quae Romanis poetis ob gravitatem linguae negatae sint.

eo maiore autem obiurgatione Martialis eos Graecos poetas reicit, quorum carmina ineptiis atque stultis ludibriis deformata

atque depravata sint. atque suo iure hos poetas Martialis Graeculos nominat: II 86

«Quod nec carmine glorior supino
nec retro lego Sotaden cinaedum
nusquam Graecula quod recantat echo
. . . .
(6) non sum, Classice, tam malus poeta
. . . .
(11) scribat carmina circulis Palaemon,
me raris iuvat auribus placere.»

denique Martialem epigrammata cum melle Hymettio comparare non ab re erit commemorare: XI 42

«Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis
lemmata. qui fieri, Caeciliane, potest?
mella iubes Hyblaea tibi vel Hymettia nasci
et thyma Cecropiae Corsica ponis api.»

iam hoc loco Graecum illius consimile afferam epigramma A P XI 341:

«Αἰνίζειν μὲν ἄριστον, ὁ δὲ ψόγος ἔχθεος ἀρχή.
ἀλλὰ κακῶς εἰπεῖν Ἀττικόν ἐστι μέλι.»

§ 5.

de Graecis Martialis vocabulis.

aliud quoque praemonere in animo habeo, priusquam in medias res progredimur. si enim Martialis carmina percucurreris, eum permulta vocabula Graeca adhibere invenies. iam inde, quantopere Graecis epigrammatis operam navaverit, colligendum est. nam quamquam illis temporibus lingua Romana, quin etiam sermo cotidianus Romanus completus erat Graecis vocabulis, tamen in Martialis carminibus verba Graeca exstant permulta, quae ante eum partim omnino non erant usurpata, partim non nisi in prosa oratione erant adhibita. sed quod Stephanius [1] (p. 7) Martialem Graeca verba ex sermone cotidiano imprimis sumpsisse dicit, ei non omni parte assentiendum est, immo ex Graecorum epigrammatum fonte effluxisse non pauca mihi videntur. hoc solum exploratum est Martialem Graeca vocabula non usurpasse nisi in epigrammatis iocosis. ‚nam elucet eum inepte fuisse facturum, si in seriis versibus scientiam Graecarum litterarum ostentasset‘.

[1]) Stephani: ‚De Martiale verborum novatore‘ Vratislaviae 1889.

nonnulla autem inveni apud Martialem Graeca vocabula, quae cum Graecorum epigrammatum vocabulis componantur, ut opinor non indigna:

M X $1_{,1}$, *coronis*‘ quod verbum invenitur in Stratonis epigrammate A P XII 257, cuius *τόπον* a Martiale in suum conversum esse usum infra docebimus.

scazon M I 96, VII 26 — A P VII 405 (*σκάζοντα μέτρα*).

choraules M V $56_{,9}$, VI $39_{,19}$, IX $77_{,6}$, XI $75_{,3}$ — A P XI 11. argumentum huius epigrammatis imitatus est Mart. III 23. argumentum epigrammatis M IX 77 invenitur in A P XI 10.

clinicus = medicus I $30_{,2}$, IV $9_{,1}$, IX $96_{,1}$ A P XI 116. haec tria Martialis epigrammata colore sunt affecta plane Graeco. cf. infra. (= homo aeger in lecto iacens, quod Cypr. ep. $69_{,13}$ et Lact. $3{,}8_{10}$ aliique praebent, neque in Martiale neque in Graecis epigrammatis inveniri videtur.)

copta XIV 68. etiam huius epigrammatis sententia prorsus Graeca est. vocabulum ‚*copta*‘ exstat in A P XII 212.

tisana M XII $72_{,5}$ — A P XI 259 (*πτισάνη*)

stibadia XIV 87, in Graecis epigrammatis demonstrare nequeo. (Plut, Philop. 4). sed *στιβάς*, de quo vocabulo illud derivatum est, inveni A P IX 546 V 267 (St 266).

myxae = rostra lucernae M XIV 41. ex hoc vero carmine exemplar Graecum elucet. et re vera A P VI 148 (W 55) epigramma Callimachi, cuius sententia similis est, praebet verbum *μύξα*. accedit quod in utroque carmine, ut iam supra monuimus, lucerna loquens inducitur.

polymyxos lucerna XIV 41 L. Stephanius adnotat: ‘π. e Graecorum scriptis non adfertur’.

amethystinus M XIV 154 (I $96_{,7}$, X $49_{,1}$) quod non nisi apud Lucianum invenitur, sed A P IX 748 et 752 verbum ‘*ἀμέθυστος*’ inveni in epigrammatis, in quibus origine vocabuli luditur. propono si placet ep. 748

«Ἡ λίθος ἐστ᾽ ἀμέθυστος, ἐγὼ δ᾽ ὁ πότης Διόνυσος.
πεισάτω ἢ νήφειν μ᾽, ἢ μαθέτω με θύειν.»

M XIV 154: Lanae amethystinae:

«Ebria Sidoniae cum sim de sanguine conchae,
non video, quare sobria lana vocer.»

cum in utroque epigrammate *γελοῖον* persimili efficiatur antithesi, manifestum est ‚sobria‘ vocabulo Graecum *ἀμέθυστον*, *ἀμεθύστινον*, quod etiam in Martialis lemmate inest, verti. in adnotatione igitur ad hoc ep. facta quod Friedlaender scribit: ‚Vielleicht ein ausdruck der umgangssprache‘, vix est credibile.

callaïnae M XIV $139_{,2}$ — A P VI 295, VII 428

lygdos VI $42_{,21}$, VI $13_{,3}$. hoc epigramma ex Graeco versum coniciam. cf. A P V 28 (St 27)

zelotypus M I $92_{,13}$ — A P V 152 (St 151)

tropis M XII $82_{,11}$ — A P IX 289, 415

gelasinus M VII $25_{,6}$. quid significet, apparet ex Suida s. v. ‚*γραμμαὶ αἱ ἐκ τοῦ γελᾶν γιγνόμεναι.*' quamquam hac sententia in Graeco epigrammate verbum servatum videtur non esse, tamen metaphorice usurpatum exstat in AP V 35 (St 34) [1]) in obscaenitatem translatum (eandem metaphoram inveni in inscript. Pompei: CIL X 4483 = Diehl ‚Pomp. Wandins.' 508.)

rhonchi M III $82_{,30}$ — A P XI 343 *ῥεγχόμενος*

soteria = dona revalescenti data M. XII $56_{,3}$, quod vocabulum inveni in A P VI 216. ceteroquin huius Graeci epigrammatis *γελοῖον* imitatus est M IV 9.

etiam nonnulla alia vocabula Graeca, quae primus Martialis in sermonem Latinum deduxit, in Graecis epigrammatis sive exstare sive exstitisse verisimile est. sed diutius immorari in re, quae exemplis allatis ut opinor satis demonstratum est, pro supervacaneo habeo. solum id monstrare mihi liceat non pauca vocabula Graeca in Martiale nos legere, quae apud Graecos scriptores ostendi nequeunt. sed quid refert. immo vero nemo puto negabit Martialem Graecae linguae tam fuisse peritum, ut per se Graeca vocabula nova formare posset. praeterea autem animadvertendum est permulta vocabula Graeca eaque maxime quae ad vitam pertinent cotidianam neque in litteris neque in inscriptionibus Graecis exstantia a Romanis nobis tradi scriptoribus. itaque ex Graecis illis apud Martialem vocabulis non ita multum de auctoribus Graecis ab eo adhibitis concludendum est. quae cum ita sint, tamen affero vocabula, quae apud Graecos scriptores non servata in Martialis epigrammatis exstant:

eschatocollion II $6_{,3}$

conchis V $39_{,10}$ VII $78_{,2}$ XIII $7_{,1}$

botryon XI $27_{,4}$

lagalopex (?) VII $87_{,1}$

chersos XIV $88_{,1}$

rhytium II $35_{,2}$

endromis IV $19_{,4}$ XIV 126. (Iuv. s. $6_{,245}$). apud Graecos non vestimentum, sed calceamentum est.

Tyrianthinum I $53_{,5}$

ἐπικλινοπάλην XIV $201_{,2}$ (cf. i.)

σαπροφαγεῖς III $77_{,10}$

---

1) Suidas quoque hoc epigramma citat, quamquam ad interpretationem, quam dedit, non apte quadrat.

accedunt non ita multa adiectiva a nominibus propriis derivata Graecanica, de quibus disseruit Steph. p. 26. iam ad sententias Graecas, quas Martialis Graeco sermone affert, transeamus. XIV $214_{,1}$ M. duas personas Atticae comoediae novae inducit: '*Μισούμενος*' et '*Δὶς ἐξαπατῶν*'. illam invenies in A P V 218 (St 217).

VII $57_{,2}$ obscaene adhibet Martialis verba Homerica *πὺξ ἀγαθός*. apud posterioris autem temporis Graecos scriptores *πύξ* idem significat atque *πυγή*, ita ut Martialem non primum illum lusum adhibuisse Homericum proclive sit intellectu.

I $27_{,7}$ *μισῶ μνάμονα συμπόταν*, quocum compares velim A P XI 31.

V $78_{,3}$ *προπίνειν* = ante cenam potare. in epigrammatis Graecis quantum scio ostendi nequit.

XIV $201_{,2}$ *ἐπικλινοπάλην*. hoc verbum ipsum apud Graecos non est servatum, sed metaphora obscaena, quae in verbo *πάλλειν* inest, non raro in Graecis epigrammatis invenitur (cf. A P V 259 (St 258): *παλαίστρα*).

alium locum obscaenum praebet Martialis VII 57: *ἱππόδαμος*. hanc metaphoram equitandi invenies in A P V 202 (St 201), V 203 (St 202).

IX $94_{,4}$ '*χάλκεα* donanti *χρύσεα* qui dederas' Friedl. haec verba Martialem ex Hom. Z 235 adnotat sumpsisse. adiciendum autem est proverbium illud Graecum esse usitatum, quod Strato adhibuit XII 204.

B. De Graecorum epigrammatum argumentis.

prooemium.

nunc demum qui loci communes apud Martialem et apud Graecos epigrammatistas explorari possint exponam. hoc quidem quin praemoneam non omittendum puto non pauca memoratu digna iam in lucem protulisse viros doctos. animadverterunt enim Martialem interdum in epigrammatis concipiendis Lucilli poetae, qui Nerone imperatore vixit, vestigia esse insecutum [1]). quod autem Lessingius noster non Martialem, sed Lucillium aliosque

---

1) cf. Mart. ed. Friedl. I p. 19.

Graecos poetas imitatores fuisse coniecit,[1]) probandum non esse his temporibus inter omnes viros doctos res est confessa. sed cum non ita multa exstent epigrammata Graeca, quae quin ante Martialem scripta sint dubitandum non est, non nisi raro quae Martialis fuerint exemplaria potest erui. sed quid ad rem? primum enim Martialis tam erat ingeniosus poeta, ut exemplaria eum anxie pressisse nemo sit qui opinetur, deinde autem posteriorum temporum epigrammata Graeca adeo vivam, si dicere licet, praebent priorum carminum imaginem, ut locos communes anquirendi data sit nobis potestas. rem ita instituendam esse novissime nonnulli contenderunt viri docti idque suo iure[2]). mihi liceat Reitzensteini quae huc spectant verba afferre: «Die griechische tradition muß notwendig mit hineingezogen werden, weil sie auf die frühere zeit schlüsse gestattet, die rethorischen mittel des *γελοῖον* müssen bei Martial u. den griechen untersucht werden.»

iam exemplo praemisso rem illustrabo: Friedlaender ad M. IV 7 adnotat haec: «Eine nachahmung ist vielleicht das epigramm des Strato A P XII 191» immo vero praeter allatum epigramma nonnulla exstant similis argumenti alia, quorum unum alterum cognovit Martialis et imitatus est.

sed haec hactenus. rem igitur ita instituam, ut altera parte nonnulla memoratu ut opinor digna de materiae inter Martialem et Graecos epigrammatistas similitudine proferam, altera de artificiis rhetoricis Graecorum carminum non dissimilibus quantum potero exponam.

1. de epigrammatis irrisoriis.

initium faciam ab epigrammatis irrisoriis; cuius generis non ita multa undecimo Anthologiae Palatinae libro nobis sunt servata. sed occasione data etiam ex aliis Anthologiae libris quod ad rem spectabit decerpendum est.

§ 1.
de vitiis corporis.

εἰς μακρόρρινας persaepe cavillantur poetae homines, quorum nasi abnormes sunt: A P XI 76, 198, 200, 203, 267, 268, 405, 406, 418 M VI 36, XII 88.

[1]) sed cf. Herder ‚Zerstr. Anm. üb. d. Ep. II p. 157 (Gotha 1786) ‚Nur von ihnen (i. e. den griechen) bekamen ja die römer diese wie alle gattungen der dichtkunst.‘

[2]) Norden, Einl. i. d. Alt. I 1910 p. 569, 575; Reitzenstein RE VI 108.

praecipue A P XI 198 comparandum est cum M XII 88:

«*Ἑρμοκράτης τᾶς ῥινός. ἐπεὶ τὰν ῥῖνα λέγοντες*
Ἑρμοκράτους, μικροῖς μακρὰ χαριζόμεθα»

«Tongilianus habet nasum: scio non nego, sed iam
nil praeter nasum Tongilianus habet.»

valde usitatus est apud Graecos de tenuitate et pusillitate corporis iocus. *εἰς λεπτούς* hanc cavillationem, ubi saepissime *ὑπερβολή* quam nominamus figura adhibetur, inveni in his epigrammatis: A P XI 88—95, 100—107, 109—111, 265, 308, 372, 392, 407. Martialis non nisi semel tenuem ludificatus est feminam XI 101:

«Thaida tam tenuem potuisti Flacce videre?
tu puto, quod non est, Flacce videre potes.»

de crassis iocatur A P XI 250 et apud Martialem II 52. *εἰς παχεῖς*

interdum poetae herniam in ludibrium vertunt: A P VI 166, *εἰς κηλήτας* XI 342, 393, 404. a Martiale hoc vitium irridetur III 24, XII 83.

homines longissimae staturae ludibrio sunt poetis A P XI *εἰς μακρούς* 87, 97 M VIII 60, (VII 38).

pervulgata vero est cavillatio in (vetulos) vetulasque[1]). in *εἰς γραῦς* his epigrammatis plerumque *γελοῖον* efficitur figura quam allusionem nominamus:

A P XI 71

«*Ἤκμασε Νικονόη. κἀγὼ λέγω. ἤκμασε δ' αὐτή,*
ἡνίκα Δευκαλίων ἄπλετον εἶδεν ὕδωρ.
ταῦτα μὲν οὖν ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν, ἀλλ' ὅτι ταύτην
οὐκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει, ἀλλὰ τάφον.»[2])

A P XI 72

«*Ἡ πολιὴ κροτάφοισι Κοτώταρις, ἡ πολύμυθος*
γραῖα, δι' ἣν Νέστωρ οὐκέτι πρεσβύτατος,
ἡ φάος ἀθρήσασ' ἐλάφου πλέον, ἡ χερὶ λαιῇ
γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη» e. q. s.

praeterea simile argumentum inveni in A P V 76 (St 75), 203 (St 202), 273 (St 272) 289 (St 288) XI 65, 419, 420.

hanc sententiam Martialis profert X 39:

[1]) talia etiam Horatius exsequitur et in carminibus (I 25, III 15, IV 13) et in iambis (5 et 8), quae quin ex Graecis eius generis epigrammatis deducta sint, non potest dubitari.

[2]) simillime Mart. III 93, sqq. iocatur:

«quodsi cadaver exigis tuum scalpi
sternatur Orci de triclinio lectus,
talassionem qui tuum decet solus,
ustorque taedas praeferat novae nuptae
intrare in istum sola fax potest cunnum.»

«Consule te Bruto quod iuras, Lesbia, natam,
mentiris. nata es, Lesbia, rege Numa?
sic quoque mentiris. namque, ut tua saecula noris,
ficta Prometheo diceris esse luto.»

aliud quoque epigramma totum perscribere operae pretium esse censeo: X 67:

«Pyrrhae filia, Nestoris noverca[1]),
quam vidit Niobe puella canam,
Laertes aviam senex vocavit,
nutricem Priamus[2]), socrum Thyestes,
iam cornicibus omnibus superstes[3]),
hoc tandem sita prurit in sepulcro
calvo Plotia cum Melanthione.»

ad haec inspicienda sunt M I 100[4]), III 32, VI 40, VIII 79, X 90, XI 97.

non raro dicit poeta anum, si coitum inire velit, non modo non ab amico pecuniam poscere oportere, sed ultro illi eam pecuniam dare: A P XI 73, V 114 (St 113) — M VII 75 (X 75) XI 29; 62.

varia senectutis vitia etiam atque etiam ludificantur poetae, podagra vetulos laborare, dentibus admodum multis carere, crinium mutari colorem, capillos eos deficere, tardis fieri auribus, aliaque eius generis. ceteroquin in numero eorum quae commemorabo epigrammata etiam ea ducam, quibus illa vitia ita perstringuntur, ut senectus non respiciatur. appono exempla haec: A P XI 74, 229, 403, 414. — M. I 19, II 41, VI 74, VIII 57; III 8, 39, IV 65, XII 22; II 33, V 49, X 83, XII 7 alia.

saepissime epigrammatistae irrident vetulos vetulasque, quod variis artibus iuventutem atque venustatem praeteritam conantur reficere. hunc *τόπον* inveni in his epigrammatis: A P XI 68, 69, 66, 67, 310, 370, 374, 398, 408. — M. VI 12, 57, III 42, 43, IV 36, XII 23, V 43. imprimis quaeso compares A P XI 408:

*«Τὴν κεφαλὴν βάπτεις, τὸ δὲ γῆρας οὔποτε βάψεις
οὔτε παρειάων ἐκτανύσεις ῥυτίδας.
μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ κατάπλαττε,
ὥστε προσώπειον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.
οὐδὲν γὰρ πλέον ἐστί. τί μαίνεαι; οὔποτε φῦκος
καὶ ψίμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην Ἑλένην.»*

cum M. ep. III 43:

---

1) cf. A P XI 72,2.

2) cf. A P XI 132.

3) cf. A P V 289 (St. 288) XI 69 (*τρικόρωνος*); XI 67, 361.

4) quocum congruit A P XI 67, quod iam Lessingius noster animadvertit (vide Frdl. a. l.).

«Mentiris iuvenem tinctis, Laetine, capillis
tam subito corvus, qui modo cygnus eras.
non omnes fallis; scit te Proserpina canum:
personam capiti detrahet illa tuo.»

aliud quoque exemplum addo, quo ostendatur, quam similia Martialis eius generis argumenta sint Graecorum: A P XI 398

*«Τὴν κεφαλὴν βάπτων τις ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτάς,
καὶ δασὺς ὢν λίαν, ᾠὸν ἅπας γέγονεν,
τοῦτο βαφεὺς ἐπόησε τὸ μηκέτι κουρέα τέμνειν,
μήτε κόμην λευκὴν μήτε μελαινομένην.»*

M VI 57:

«Mentiris fictos unguento, Phoebe, capillos
et tegitur pictis sordida calva comis.
tonsorem capiti non est adhibere necesse:
radere te melius spongea, Phoebe, potest.»

denique haec epigrammata inter se conferenda puto:
A P XI 68 (Lucilli)

*«Τὰς τρίχας, ὦ Νίκυλλα, τινὲς βάπτειν σε λέγουσιν,
ἃς σὺ μελαινοτάτας ἐξ ἀγορᾶς ἐπρίω.»*

M VI 12.

«Iurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: numquid ergo, Paule, peierat?»

de hirsutis iocus fit A P XI 190, 368 — M II 36. *εἰς δασεῖς*

A P XI 428 poeta cavillatur fuscum, qui saepe lavando nigrum suum colorem mutare periclitatur. similiter Martialis eludit nigram puellam, quae Tibur migrat, ut candida fiat: IV 62 (VII 13 de fusca puella, quae eadem de causa Tibur se confert). *εἰς μελάγχρους*

adiungo pauca epigrammata, quibus poetae in universum deformes mulieres per ludibrium perstringunt: A P XI 201, 266, 287, 327, 353, 367. — M. V 29, VI 23 X 84. idem argumentum praebent Catulli c 41, 43. *εἰς γυναῖκας ἀμόρφους*

Transeamus nunc ad epigrammata quae spectant ad cenam convivium, convivas, convivatores. *δειπνητικά*

§ 2.

de epigrammatis, quae ad cenam spectant.

de parca et tenui cena queruntur interdum poetae Graeci A P XI 96, 325, 377, 387, 413. eundem *τόπον* Martialis persaepe in suum convertit usum: 123, 43, II 19, VII 79, VIII 22. plerumque Martialis iocum auget contrario adhibito, cum dicat cenae dominum sibi ipsi proponere cibos et potiones delicatas, vilissimas

convivis: I 20, III 49, 60, 82, IV 68, 85, X 49. semel inveni eundem cibum et Graeco poetae et Martiali fuisse ludibrio, dico cucurbitam, quae propter gustum amarum in proverbio erat: A P XI 371—M XI 31. sed talia habent etiam Lucilius, Varro, Horatius, Petronius in saturis. haec igitur ad Menippum usque pertinere probabile est (quem epigrammata quoque polymetriae suae immiscuisse Varronis et Petroni apparet imitatione; atque Meleager assecla fuit huius sectae, *Μενιππείοις χάρισιν* ornatus).

interdum poetae incusant convivatorem, qui sibi apponat argenteas patinas magni, cibos parvi pretii A P XI 313, 314, 371. similiter apud Martialem convivator, qui ipse bibit merum Opimianum, convivam, cui proponit Sabinum, interrogat: „Vis in auro?" (X 49) (cf. M VI 92). eodem spectat M III 12, ubi Fabullus convivis bonum dat unguentum, cibos dat nullos. ceteroquin hanc superlationem — nam convivatorem convivis non proposuisse cibos nullos sed parcos et viles manifestum est — in illis quoque Graecis epigrammatis invenimus.

agedum nunc advertas animum ad ea epigrammata, quibus poetae conqueruntur, quod convivio intersunt poetae recitantes vel grammatici vel choraulae. si autem hi desint, cenam quamvis modicam esse commendabilem. hanc sententiam profert Lucillius A P XI 10:

«*Τὸν τοῦ δειπναρίου νόμον οἴδατε. σήμερον ὑμᾶς*
Αὖλε καλῶ καινοῖς δόγμασι συμποσίου.
οὐ μελοποιὸς ἐρεῖ κατακείμενος. οὔτε παρέξεις
οὔθ' ἕξεις αὐτὸς πράγματα γραμματικά.»

quocum conferendum est M III 45

»Fugerit an Phoebus mensas cenamque Thyestae,
ignoro [1]): fugimus nos, Ligurine, tuam.
illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis,
sed nihil omnino te recitante placet.
nolo mihi ponas rhombos mullumve bilibrem
nec volo boletos, ostrea nolo: tace.«

et IX $35_{,11}$:

«Tolle tuas artes; hodie cenabis apud me
hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.»

praeterea respicias velim haec epigrammata: A P XI 20 M III 50, V $78_{,25}$, IX 77 XI 52 (cf. Varron. sat. fr. 333 s q q.)

ad convivam i m m o d i c u m spectant A P XI 206—M XII 28. iam pridem Martialis commentatores epigrammata quae invehuntur in convivas ita voraces, ut cibos servis domum auferendos tradant, bene congruere cum nonnullis Graecae Anthologiae carminibus. quae cum explorata sint, epigrammata exscribere supersedeo. res agitur

[1]) ceteroquin, quod compositionem attinet, apte opinor confertur hoc ep. cum A P XI 71 supra allato.

A P XI, 11, 205, 207—M II 37, III 23 (VIII 59, XII 29). sed de duobus locis accuratius exponam: primum componere operae puto pretium: A P XI $207_{,3-4}$ cum M VII $20_{,16-17}$:

«*πλὴν μετὰ τοῦ κοφίνου τοῦ πρὸς πόδας αὔριον ἔρχου*
πρίσματα καὶ σπόγγον καὶ σάρον εὐθὺς ἔχων.»

«colligere longa turpe nec putat dextra,
analecta quidquid et canes reliquerunt.»

deinde quod maioris momenti duco, M. ep. III 23 quomodo sit interpretandum, facile colligendum puto ex Lucilli epigrammate, quod Martialis imitatus est. dicit enim poeta:

«O m n i a c u m r e t r o p u e r i s o b s o n i a t r a d a s,
cur non mensa tibi ponitur a pedibus?»

adnotat Friedlaender hoc epigramma bifariam esse interpretandum. aut cibos a conviva servis suis domum ferendos tradi (cf. II 37) aut, quod Gilbert proposuit, convivatorem exoletos suos pascere his cuppediis (cf. III $82_{,18}$), sed utrum rectum sit, Friedlaender disceptari posse negat. pro certo autem habendum est Gilberti sententiam non posse probari. nam satis arcte secutus est Martialis Lucillium A P XI $11_{,3}$:

«*ἀλλ' ἐκάλουν σε μόνον· σὺ δ' ἔχων χόρον οἴκοθεν ἥκεις*
ὀρχηστῶν, αὐτοῖς πάντα διδοὺς ὀπίσω.
εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἐστι, σὺ τοὺς δούλους κατάκλινον,
ἡμεῖς δ' αὖ τούτοις πρὸς πόδας ἐρχόμεθα.»

cf. praeterea quae similia praebent verba epp. A P XI 205, 207.

adicio nonnulla epigrammata, quibus gulosissimi homines perstringuntur: Posid. ap. Ath. X 412 e, 414 e A P XI 379 — M II 40, III 17, 22, V 70, X 31. homines qui etsi permulta tamen omnia vilissima atque sordidissima edunt, irridentur A P XI 402 — M XI 27.

interdum luditur in v i n o s o s, cuius *τόπου* exempla habeo haec A P XI (45, 49) 343, 426 — M I 11, 26, 28 XI 82, XII 12, 70. feminae quae vino indulgent, deridentur A P XI 409, 297, 298 — M XII 65, I 87.

contra ea cavillantur poetae s o b r i u m A P X 429 — M XII 30.

§ 3.

de hominibus novis.

persaepe Martialis in iocum convertit superbiam divitum, imprimis h o m i n u m n o v o r u m quos nominamus. inspice haec epp: II 16, 40, 81 III 16, 29 VI 17 IX 73. Graeca exempla mihi non sunt praesto nisi pauca [1]) sed haec dignissima, quae cum Martialis carminibus nonnullis comparentur: *εἰς πλουσίους*

[1]) non mirum. nam hominum ordo novorum vere est Romanus. itaque animadvertas quaeso etiam in Graeco epigrammate allato nomen irrisi non esse Graecum, sed Latinum (Rufus).

A P XI 17 irridet poeta Stephanum quendam, qui re familiari aucta nomen quoque suum auxit. simile est ep. XI 358, quod propono:

«Ῥουφινιανὸς Ῥοῦφος ὢν δισύλλαβος
συνεξέτεινε τοῖς κακοῖς τὰς συλλαβάς.
οὐ λανθάνει δὲ τὴν δισύλλαβον Δίκην.
κληθήσεται γὰρ καὶ δισύλλαβος πάλιν
Ῥοῦφος κακοῦργος καὶ γόης, ὡς ἦν ποτε.»

omni parte conferendum est M VI 17:

«Cinnam, Cinname, te iubes vocari,
non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
tu si Furius ante dictus esses,
fur ista ratione dicereris.»

iam Jacobs vidit colorem Mart. XII 17 simillimum esse epigrammatis A P XI 403. podagram (febrem) esse dicunt poetae perpetuam vitae luxoriosae et delicatae comitem.

A P XI 403

«Μισόπτωχε θεά, μούνη πλούτου δαμάτειρα,
ἡ τὸ καλῶς ζῆσαι πάντοτ' ἐπισταμένη,
† εἰ δὲ καὶ ἀλλοτρίοις ἐπιζομένη ποσὶ χαίρεις
πιλοφορεῖν τ' οἶδας, καὶ μύρα σοὶ μέλεται
τέρπει καὶ στέφανός σε καὶ Αὐσονίου πόμα Βάκχου,
ταῦτα παρὰ πτωχοῖς γίνεται οὐδέποτε.
τοὔνεκα νῦν φεύγεις πενίης τὸν ἀχάλκεον οὐδόν,
τέρπῃ δ' αὖ πλούτου πρὸς πόδας ἐρχομένη.»

3: ‚εἰ' codd. Pal., ‚ἐν' Plan. — 4: ‚ὀπλοφορεῖν οἶδας' codd., ‚τ' inseruit Stephanus. ‚πιλοφορεῖν τ' οἶδας' Jacobs. — 7: τοὔνεκα νῦν' codd. Pal.; ‚τοὔνεκα καὶ' Plan.; τοὔνεκά νυν Brunck, Jacobs. — 8: ‚δ' ἀντὶ πλούτου' codd. Pal.; ‚δ' εἰς πλούτου' Plan.; ‚δ' αὖ πλούτου' Duebner.

---

proposui quem Duebner praebet textum, etsi mihi persuasum est praesertim in v. 3—4 corruptelam haerere, quae quomodo sanari possit nescio. argumentum autem et dispositio epigrammatis perfacile percipi potest. post v. 5. ὑποστιγμήν posui, non ut commentatores quantum scio omnes τελείαν στιγμήν. totum enim epigramma implorationis formam in parodiam praebet transversam. versus primus et secundus nomen deae comprehendunt, versibus 3—6, quibus rebus usque adhuc dea gavisa sit enarratur. septimus autem versus ἀπόδοσιν continet. hanc structuram viros doctos opinor fuisse intellecturos, si carmen supplicio terminaretur. sed forma leviter inflexa pro imperativo, quem exspectamus, posuit poeta indicativum modum, quo precibus deam iam esse obsecutam significatur. si ita carmen interpretamur, proclive est intellectu

lectionem versus septimi ‚τοὔνεκα νῦν' retinendam esse (si hoc verbo licet uti; nam quid nostra interest, quales accentus Byzantini philologi apposuerint!), praeterea Duebneri facetam in versu octavo coniecturam valde esse probabilem. nam quid melius ad sententiam quadrat? Podagra, quae antea divites solos subsecuta nunc mendici tecta conata est subire, ab hoc ut ad divites redeat oratur. ceteroquin monendum est πλοῦτον vocabulum abstractum aptissime respondere πενία praeeuntis versus abstracto. sed etsi pauca ad meliorem huius epigrammatis interpretationem nos attulisse suspicamur, tamen δέ particulam, quae in tertio versu εἰ coniunctionem subsequitur, corruptam esse apparet. num Jacobsii ingeniosa coniectura πιλοφορεῖν quae si litterae quomodo corruptae sint respexisti perspicua est, emendatam praebeat lectionem, ego quidem non habeo pro explorato.

sed redeamus, a quo longius discessimus, ad argumentum illius carminis, cum quo uti diximus conferendum est M XII 17:

«Quare tam multis a te, Laetine, diebus
non abeat Febris, quaeris et usque gemis.
gestatur tecum pariter pariterque lavatur;
cenat boletos, ostrea, sumen, aprum;
ebria Setino fit saepe et saepe Falerno,
nec nisi per niveam Caecuba potat aquam;
circumfusa rosis et nigra recumbit amomo,
dormit et in pluma purpureoque toro.
cum recubet pulchre, cum tam bene vivat apud te,
ad Damam potius vis tua Febris eat?»

§ 4.

de ordinibus.

in permultorum Graecorum epigrammatographorum deliciis fuit singulorum ordinum cavillatio, quam a Martiale receptam et largissime usurpatam esse non ita paucis illustrari potest exemplis.

εἰς φιλοσόφους

atque primum quidem si placebit de philosophis agam. plurima sunt epigrammata, quibus cynici perstringuntur vel homines, qui baculo peraque sumptis, pannis obsiti, longa atque hirsuta barba horrentes aliosque cynicorum mores prave atque perverse imitati cynici facti esse sibi videntur[1]). cuius generis exempla affero haec A P XI 430, 434. 153, 154, 156—158. interdum hi homines morum praeceptores, censores

---

[1]) eandem praebet sententiam Lucianus III p. 392 (ed. Jacobitz). cf. Bis Accus. 6 (III p. 4—5), Fugit. 12 (III p. 292) alibique. eodem etiam Epicteti περὶ Κυνισμοῦ spectat dissertatio (III 22 p. 263 sq. Schenkl).

castigatoresque inducuntur, qui ipsi omni integritate morum et modestia carentes turpissimis indulgent vitiis A P XI 155. 410. iam pridem commentatores ad M IV 53 adnotaverunt Lucilli exemplum A P XI 153. praeterea collegi hos locos:

M XI 84,$_{7}$

«tondeat hic (i. e. tonsor) inopes Cynicos et Stoica menta
collaque pulverea nudet equina iuba.»

XII 59,$_{8}$ «menti dominus pediculosi.»

A P XI 156

«οὗτος γὰρ ὁ πώγων φθειρῶν ποιητής, . .»

monendum autem est Martialem saepenumero pro Cynicis Stoicos perstrinxisse, quorum simulationes ei non aliter ludibrio erant quam Graecis Cynicorum[1]). haec habeas exempla:

M I 24, 96 IX 47. 70. 27. in cuius extremi epigrammatis adnotatione recte Friedlaender reicit ad A P XI 155. ceteroquin mihi reticendum non est coniecturam ‚*κακοστομάτων*' ex verbo libris tradito ‚*κακοστομάχων*' optime probari non modo Martialis versu III 80:

«rumor ait linguae te tamen esse malae,»

sed etiam Mart. IX 27,$_{14}$ exemplo adhibito:

«et pudet fari
Catoniana, Chreste, quod facis lingua»

εἰς γραμματικούς

exstant in Graeca Anthologia plurima epigrammata, quibus deridetur grammaticorum mataeoponia eorumque imperitia eluditur. haec offendi exempla: A P XI 138, 140, 279, 321, 322, 378, 383, 400. imprimis conferas velim

A P XI 335

*«Ὦ τλῆμον Κυνέγειρε, καὶ ἐν ζωοῖς καὶ ἀπελθών,
ὡς αἰεὶ κόπτῃ ῥήμασι καὶ κοπίσιν.
πρόσθε μὲν ἐν πολέμοισι τεὴ πέσε μαρναμένη χείρ.
νῦν δέ σ' ὁ γραμματικὸς καὶ ποδὸς ἐστέρισεν.»*

M XIV 120

«Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
dicor ab indoctis lingula grammaticis.»

praeterea Martialis in grammaticos invehitur his solis locis IX 68, X 60, 62. XII 57,$_{5}$. sed argumenta longe alia. tamen haec verba inter se conferenda puto, quibus puerorum in magistros odium narratur:

A P XI 322 *«παισὶ σκότος ἀρχομένοισιν.»*
M IX 68 «invisum pueris virginibusque caput.»

---

[1]) Stoicos etiam Lucianus cavillatur cum multis locis tum in Vit. auct, c 20—26 (p. 240 sq. Iac.) neque etiam de Horati potest sileri sermonibus, in quibus persaepe inest Stoicorum ludibrium.

εἰς ποιητάς

quae ad poetas spectant, iam supra nonnulla protulimus exempla. hoc loco addendum est omnino ludibrium poetarum inscitorum, ut consentaneum est, communem locum fuisse tritissimum. offendi eius generis haec epigrammata Graeca: A P XI 133, 134, 135, 136, 137, 185, 394; 127, 129. Martialis, qui hunc *τόπον* persaepe adhibuit, ex paene innumerabili numero haec satis habeo afferre exempla: I 91, II 77, 88, III 9, III 44; sed nonnulla praecipue sunt observanda.

in poetam turpium spurcorumque carminum invehitur Crates A P XI 218, similiter M XII 43.

Αἴτια Callimachi irridentur A P XI 275:

*«Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς.
αἴτιος ὁ γράψας Αἴτια Καλλίμαχος.»*

etiam Martialis, qui Callimachi epigrammata plurimi aestimat (cf. s.), eius perobscura Aetia in ludibrium vertit: X 4,$_{11}$:

«sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores
nec te scire: legas Aetia Callimachi.»

interdum Martialis longorum epigrammaton rationem legentibus probat, quod sibi dicit obici epigrammata non esse nisi brevia. huc spectant I 110, X 59, III 83, VI 65, II 77. reapse illa obtrectatorum praecepta perusitata videntur fuisse, quod concludendum duco ex Graeco epigrammate hoc:

A P IX 342 (Parmenionis)

*«Φημὶ πολυστιχίην ἐπιγράμματος οὐ κατὰ Μούσας
εἶναι. μὴ ζητεῖτ' ἐν σταδίῳ δόλιχον.
πόλλ' ἀνακυκλοῦται δολιχὸς δρόμος, ἐν σταδίῳ δὲ
ὀξὺς ἐλαυνόμενος πνεύματός ἐστι τόνος.»*

si hoc epigramma re vera Parmenionis est (qua in re omnes consentiunt libri), ante Martialis aetatem factum esse dilucidum est. ab huius epigrammatis praecepto videtur se defendere Martialis epigrammate X 59:

«Consumpta est uno si lemmate pagina, transis,
et breviora tibi, non meliora placent.
dives et ex omni posita est instructa macello
cena tibi, sed te mattea sola iuvat.
non opus est nobis nimium lectore guloso;
hunc volo, non fiat qui sine pane satur.»

insuper inspicias quaeso ep. A P IX 369:

*«Πάγκαλον ἐστ' ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον. ἢν δὲ παρέλθῃς
τοὺς τρεῖς, ῥαψῳδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις.»*

cf. A P VI 327.

obiter autem monendum est M V 53 iam a Lessingio nostro collatum esse cum A P XI 214.

denique commemoratu dignum videtur Lucillium A P XI 132 queri de criticis, qui poetas recentiores propter aetatem solam eorum despiciant:

«Μισῶ, δέσποτα Καῖσαρ, ὅσοις νέος οὐδέποτ' οὐδεὶς
ἤρεσε, κἂν εἴπῃ ,Μῆνιν ἄειδε θεά',
ἀλλ' ἢν μὴ Πριάμου τις ἔχῃ χρόνον ἡμιφάλακρος,
ἢ καὶ κυρτὸς ἄγαν, οὐ δύνατ' ἄλφα γράφειν.
εἰ δ' ὄντως οὕτως τοῦτ' ἔστ' ἔχον, ὦ ὕπατε Ζεῦ,
εἰς τοὺς κηλήτας ἔρχεται ἡ σοφία.»

Martialis quae huc spectant epigrammata quaeso conferas haec [1]):

VIII 69:

«Miraris veteres, Vacerra, solos,
nec laudas nisi mortuos poetas.
ignoscas petimus, Vacerra: tanti
non est, ut placeam tibi, perire.»

XI 90:

«Carmina nulla probas molli quae limite currunt,
sed quae per salebras altaque saxa cadunt,
et tibi Maeonio quoque carmine maius habetur,
,Luceilei columella heic situ Metrophanes;'
attonitusque legis ,terrai frugiferai',
Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.
vis imiter veteres, Chrestille, tuosque poetas?
dispeream, ni scis, mentula quid sapiat.»

similem praebet sententiam M V 10.

εἰς ῥήτορας καὶ συνηγόρους

epigrammata Graeca si quis perlustraverit, persaepe iocum continere rhetorum causidicorumque facile intelleget. quod iam in poetarum et grammaticorum vidimus ludibrio, de eorum imperitia atque inscientia litterarum queruntur epigrammatistae: si opus sit dicere, vel eos tacere vel exornare orationes exemplis, quae loco alienissima, quin etiam absurda sint. quorum potiora hoc loco apponemus: A P XI 141—146 [2]), 148, 149, 151, 152, 376, 422. haec exempla pressit Martialis multis locis. offendi hos: I 97, VI 35, VIII 7, VI 48, III 25, V 21, V 54. Martialem vero VI 35 anxie secutum esse Lucilli ep. A P XI 141 iam ante Lessingium animadverterunt viri docti.

εἰς ἰατρούς

iam descendimus ad medicorum cavillationem, quam saepe adhibuerunt epigrammatarii. plerumque iocus ita instituitur, ut medici artis vel imperiti esse vel ea male atque inepte uti di-

[1]) eandem sententiam praebet Horatius in epistula ad Augustum scripta (II, 1).

[2]) apte Jacobsius A P XI 141, 8 cum Luciani ,de saltatione' (II p. 168 Jacobitz) comparat:

,Ἄλλα λέγει Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον'
,Ἕτερα μὲν γὰρ ὁ πούς, ἕτερα δὲ ὁ ῥυθμὸς λέγει.'

cantur. persaepe fieri, ut aegroti arte medici adhibita acrius laborent quam antea. quid quod ne ea quidem desunt epigrammata, quibus illi medicinam ita factitare narrantur, ut nedum sanentur aegri culpa illorum diem obeant supremum. huc spectant epigrammata haec: A P XI 15, 112—117, 119—124, 131, 280, 334, 401. Martialis invehitur in clinicorum inscitiam his locis: I 30, 47 V 9 VI 53 VIII 74 IX 96.

ad M. VI 53 iam Lessingius Lucilli adnotavit exemplum A P XI 257. sed praeterea quaeso inspicias A P XI 118 similis argumenti:

«Οὔτ' ἔκλυσεν Φείδων μ', οὔθ' ἥψατο. ἀλλὰ πυρέξας
ἐμνήσθην αὐτοῦ τοὔνομα, κἀπέθανον.»

insuper cf. A P XI 123.

bis Martialis iocum facit in vispillonem, qui antea medicus fuerat hoc acumine:

I $30_{,2}$ «coepit quo poterat clinicus esse modo»
$47_{,2}$ «quod vispillo facit, fecerat et medicus.»

non possum quin obiter indicem eodem modo *γελοῖον* effici M VIII 74

«Oplomachus nunc es, fueras opthalmicus ante;
fecisti medicus quod facis oplomachus.»

hoc loco moneo etiam Graecos poetas ludibrium fecisse in medicos ocularios, cuius generis exempla mihi quaerenti Anthologia praebuit haec: A P XI 112, 115, 117, 126.

sed redeamus ad epigrammata, quibus perstringuntur vispillones. volo enim respicias ep. A P XI 125, quo poeta narrat pactos esse inter se medicum et vispillonem ea ratione, ut invicem ministeria facerent.

cf. praeterea A P XI 117 cum M V 9

«Ἰητρὸς Καπίτων Χρύσην ἐνέχρισεν ὁρῶντα
ὀκτὼ μὲν μακρὸν πύργον ἀπὸ σταδίων,
. . . .
(5) *νῦν δ' ἀπὸ μὲν σταδίου πόλιν οὐ βλέπει»* e. q. s.

«Languebam, sed tu comitatus protinus ad me
venisti centum, Symmache, discipulis
. . . .
(4) non habui febrem, Symmache nunc habeo.»

A P XI 61 poeta irridet medicum, qui eum vino iubet abstinere. similiter Martialis IX 94 iocose narrat de medico, qui aegro «Santonica medicata» dedit, sibi poposcit mulsum. haec epigrammata etiam ob comparationem attuli, quam utrumque praebet Homericam, illo enim Graeco iocatur poeta in

«ὄττι μένος μερόπων οἶνον Ὅμηρος ἔφη» (*I* 706, Z 261),

hoc Martialis epigrammate exempli causa adhibentur arma inter Glaucum et Diomedem commutata[1].

sed alium quoque locum qui ad medicam artem spectat communem in suum usum convertit Martialis. interdum enim nobis occurrunt Graeca epigrammata, quae sunt scripta in medicos furaces. haec velim inspicias exempla A P XI 112, 333 — M IX 96.

hoc loco licitum mihi sit aliquid addere, quod iam supra erat dicendum. vidimus enim A P XI 125 de vispillone agi, qui ut medico subveniat defunctos linteis spoliat funebribus. similiter Martialis cavillatur hominem turpem, qui rapit unguenta tus myrrhum de rogo medio: XI 54.

εἰς κλέπτας iam si placet adicio alia epigrammata in fures, quae innotuerunt mihi. A P XI 174—179, 182—184, 315, 324. ad haec apponenda sunt, quae convivas furaces ludificantur poemata (cf. s. p. 20 sq.). quo loco communi Martialis non ita saepe est usus. (VIII 48, 59). hoc loco iam Catullus utitur c. 12 (cf. c. 25 et c. 42). sed haec sunt commemoratu si recte iudico digna: A P XVI 238 — M VI 72 A P XVI 238:

«Εἰς τὸ κενόν με τέθεικε νόμου χάριν ὧδε Πρίηπον
Εὐτυχίδης ξηρῶν κλημματίδων φύλακα.
καὶ περιβέβλημαι κρημνὸν βαθύν. ὃς δ' ἂν ἐπέλθῃ,
οὐδὲν ἔχει κλέψαι πλὴν ἐμὲ τὸν φύλακα.»

«Fur notae nimium rapacitatis
compilare Cilix volebat hortum,
ingenti sed erat, Fabulle, in horto
praeter marmoreum nihil Priapum.
dum non vult vacua manu redire,
ipsum surripuit Cilix Priapum[2].»

A P XI 315 (Lucilli.)

«Εἴσιδεν Ἀντίοχος τὴν Λυσιμάχου ποτὲ τύλην,
κοὐκέτι τὴν τύλην εἴσιδε Λυσίμαχος.»

simillima, etiam quod structuram attinet rhetoricam, haec sunt Martialis verba: XII 29,,21

«ad cenam Hermogenes mappam non attulit unquam,
a cena semper rettulit Hermogenes.»

εἰς κουρέας in tonsorem carnificem *ὑπερβολικῶς* iocatur Lucillius A P XI 191, cuius vestigia Martialem XI 84 secutum esse iam diu est exploratum. tonsorem autem tardum irridet M VII 83. cuius generis Graeca exempla quae afferam non habeo nisi A P XI 288, ubi tonsor perstringitur obtusa usus novacula.

[1]) proverbium usitatum, quod epigrammatistae Graeci ad comparationem instituendam interdum usurpaverunt cf. p. 8.
[2]) praeterea quod inspicias dignum est ep. A P XI 176 (Lucilli)

pictores mali deridentur A P XI 212, 213, 215. — M I 102 V 40. *εἰς ζωγράφους*

ad amphitheatrales factiones spectant A P XI 344 — M VI 46. *εἰς ἀμφιθεάτρου αἱρέσεις*

sed linquamus *ἐπιγράμματα σκωπτικά* et carptim inspiciamus alia *εἴδη*.

2. de epigrammatis convivalibus.

epigrammatis suis inseruit Martialis Graeco more interdum cenae conviviive invitationes[1]). quarum adnoto exempla haec: V 71, X 48, XI 52. in his carminibus, ut est consentaneum, quos cibos quas potiones appositurus sit convivator commemorare mos est tralaticius. ut iam supra vidimus, persaepe scriptum legimus cenam quamvis modicam maioris esse pretii, si absint grammatici poetae fidicines aliique artis musicae periti. sed praeterea non raro confirmant poetae convivium laude perdignum fore quia non sint adfuturi nisi amici. hoc testimoniis probetur his: A P XI 35 (*σύμβολα*).

«Κράμβην Ἀρτεμίδωρος, Ἀρίσταρχος δὲ τάριχον,
βολβίσκους δ' ἡμῖν δῶκεν Ἀθηναγόρας,
ἡπάτιον Φιλόδημος, Ἀπολλοφάνης δὲ δύο μνᾶς
χοιρείου, καὶ τρεῖς ἦσαν ἀπ' ἐχθὲς ἔτι.
ᾠὸν καὶ στεφάνους, καὶ σάμβαλα, καὶ μύρον ἡμῖν
λάμβανε, παῖ· δεκάτης εὐθὺ θέλω παράγειν.»

vide quos proponat Martialis cibos X 48, XI 52 ceteroquin non erit ab re monere similiter Martialem in ciborum numero collocare pernam, quae iam ante cenam, ad quam invitat, erat apposita:

X 48,,17 «cenisque tribus iam perna superstes
addetur.»

ad hoc propono haec:

A P XI 44

«Αὔριον εἰς λιτήν σε καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
ἐξ ἐνάτης ἕλκει μουσοφιλὴς ἕταρος,
εἰκάδα δειπνίζων ἐνιαύσιον· εἰ δ' ἀπολείψεις
οὔθατα καὶ Βρομίου χιογενῆ πρόποσιν,
ἀλλ' ἑτάρους ὄψει παναληθέας, ἀλλ' ἐπακούσῃ
Φαιήκων γαίης πουλὺ μελιχρότερα[2])» e. q. s.

simile proposuit argumentnm Martialis:

[1]) eandem sententiam praebet Horatius epp. I 5.
[2]) de hac comparatione cf. i.

X $47,_1$ «Vitam quae faciant beatiorem,

. . . .

($_7$) prudens simplicitas, pares amici,
convictus facilis, sine arte mensa.»

X $48,_5$ «Stella, Nepos, Cani, Cerialis, Flacce venitis?

. . . .

($_{21}$) accedent sine felle ioci nec mane timenda
libertas et nil quod tacuisse velis.»

frequenter autem apud Graecos epigrammatistas bibentes nominatim vocant amicam. exempla propono haec:

A P V 110 (St 109)

*"Εγχει Λυσιδίκης κυάθους δέκα, τῆς δὲ ποθεινῆς
Εὐφράντης ἕνα μοι, λάτρι, δίδου κύαθον»* e. q. s.

cf. V 136 (St. 135), 137 (St 136), XII 51.

similia sunt compluria Martialis epigrammata: I 71

«Laevia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.» e. q. s.

IX 93

«Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
quadrantem duplica de seniore cado.»

praeterea animum velim intendas ad VIII 51.

interdum poeta confitetur se convivia magni apparatus odisse et respuere, veluti A P XI 34, quocum bene congruit illud Horati carmen I 38 ‚*Persicos odi puer apparatus*'. sed etiam Martialis epigramma XI 11 respiciendum censeo, quo poeta puerum ut calices tollat tenues monet et sibi proponat

(3) «trita patrum labris et tonso pura ministro.»

iam ut animum quaeso convertas ad epigrammata, quibus Martialis pronuntiat volgare illud *τῶν ἠθικῶν* praeceptum, quod praecise Horati exprimitur verbis:

«quid sit futurum cras fuge quaerere.»
«carpe diem quam minimum credula postero.»

neque desunt alia Horati carmina, quae eandem, de qua disputamus, praebeant sententiam. inspicias velim haec: c I 4, 11 II 3, 11, 14, 29 IV, 7 aliaque. scilicet eum saepe epigrammata *λυρικῶς παρῳδεῖν* monuit Reitzenstein in nov. phil. ann. 1908 (XI) p. 81 sqq. apud Martialem autem huius generis offendi locos hos: I 15, II 59, IV 54, V 58 [1]), V 64, VII $47,_{11/12}$, VIII 44, VIII 77, XIII 126.

eadem sententia permultis Graecis epigrammatis subest, quorum pauca proponere satis mihi est:

V 72 (St 71)

*«Τοῦτο βίος, τοῦτ' αὐτό, τρυφὴ βίος· ἔρρετ' ἀνῖαι.
ζωῆς ἀνθρώποις ὀλίγος χρόνος. ἄρτι Λυαῖος,
ἄρτι χοροὶ στέφανοί τε φιλανθέες, ἄρτι γυναῖκες.
σήμερον ἐσθλὰ πάθω, τὸ γὰρ αὔριον οὐδενὶ δῆλον.»*

XI 56

*«Πῖνε καὶ εὐφραίνου· τί γὰρ αὔριον, ἢ τί τὸ μέλλον,
οὐδεὶς γινώσκει. μὴ τρέχε, μὴ κοπία·
ὡς δύνασαι, χάρισαι, μετάδος, φάγε, θνητὰ λογίζου·
τὸ ζῆν τοῦ μὴ ζῆν οὐδὲν ὅλως ἀπέχει.
πᾶς ὁ βίος τοιόσδε, ῥοπὴ μόνον. ἂν προλάβῃς, σοῦ,
ἂν δὲ θάνῃς, ἑτέρου πάντα. σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.»*

(eodem referenda sunt: A P V 11 (St 10), 39 (St 38), 85 (84), X 60, 79, 100, XI 13, 19, 20, 25, 28, 47, 51, 53, 54—56, 62.)

persaepe Martialis ‚vivere' vocabulo significat ‚vita frui' (hoc quoque vocabulum est philosophiae volgaris.) huius sententiae locos collegit Friedl. ad I 15. consimiliter Graeci epigrammatistae verbo *ζῆν* utuntur: cf. A P X 43.

3. de epigrammatis sepulcralibus.

progredior nunc ad aliud epigrammaton *εἶδος*, dico c a r m i n a s e p u l c r a l i a. cum nuper [1]) topica et Graecorum et Latinorum huius generis epigrammaton adumbrata sint, proclive est demonstrare, quatenus Martialis insecutus sit vestigia pertrita, quatenus illa exempla suo more atque ingenio immutaverit. sed quoniam quantopere omnia fere carmina sepulcralia Latina ex Graeco fonte hausta sint (etiam ea quae in lapidibus incisa sunt), Lier dilucide ut opinor exposuit, saepenumero diiudicari nequit, utrum Martialis potius Graeca an Latina carmina expresserit imitando. tamen quoquo modo res se habet, hoc quidem certum est omnes quos adhibuit Martialis *τόπους* non a Romanis inventos, sed a Graecis poetis. accedit quod non desunt epigrammata apud Martialem, in quibus etsi exemplaria Graeca non exstant, tamen Graecae linguae natura videtur ei spirare, qui Graecam venustatem ab Italo robore possit internoscere.

antequam autem ad laborem ipsum me accingo, praemoneo rem me ita esse instituturum, ut praescribam, qua paragrapho Lier singulos *τόπους* tractaverit. neque exempla ipsa, quorum argumenta

---

[1]) B r u n o L i e r ‚*Topica carminum sepulcralium latinorum*' Phil. LXII (1903) p. 445 sqq.

protulit Martialis, nominatim afferam, quia ei, qui haec legere cupit, Lieri inspicere licet dissertationem.

(3) ‚animi et corporis virtutes defuncti copiose praedicantur': M I 101, VI 28, 29, 52, 68, 85, VII 40, XI 13.

(4) ‚gravissime lamentatur superstes, si liberi parentibus vivis morte pereunt; non minus in prosaicis inscriptionibus quam in poeticis scriptum legimus necesse fuisse parentes, ut prius introissent in vitam, ita prius egredi': M I 114$_{,5}$ (cf Frdl. a. l.)

‚ad Stygias aequum fuerat pater isset ut umbras.'

(6) nihil refert, utrum dives an pauper, utrum probus an improbus fueris, utrum adhuc fortuna tibi faverit necne:

M VII 96$_{,5}$

‚quid species, quid lingua mihi, quid profuit aetas?'

(11) aut exordio aut exitu tituli admonentur viatores, ut legant, quid inscriptum sit, defunctumque defleant:

XI 13 «Quisquis Flaminiam teris viator,
noli nobile praeterire marmor.» e. q. s.

XI 91$_{,8}$ ‚properas qui flere viator'

interdum defunctus praetereunti gratias agit, quod suam mortem defleverit, eique ut omnia bene vertat Fortuna, optat:

VI 28 (cf Frdl. a. l.),$_{10}$

«qui fles talia, nil fleas, viator.»

VII 96$_{,6}$ «da lacrimas tumulo, qui legis ista, meo:
sic ad Lethaeas, nisi Nestore serius, undas
non est, optabis quem superesse tibi.»

X 71$_{,1}$ «Quisquis laeta tuis et vera parentibus optas
fata, brevem titulum marmoris huius ama.»

cf X 61, ubi non viatorem adloquitur mortuus, sed eum, qui postea agellum, in quo sepulcrum inest, habitabit.

(14) invidia deorum causa mortis est: cf IX 86$_{,10}$
X 53 ‚invida . . . Lachesis.'
(X 61 «crimine . . . fati.»)

(15) optimus quisque morte abripitur:
VI 29$_{,7}$
«inmodicis brevis est aetas et rara senectus.»

(26) superstites homines solacium percipiunt ex ea re, quod aliis quoque hominibus, quin etiam deorum amicis moriendum erat:

IX 86$_{,4}$:
«„Ipse meum flevi" dixit Apollo „Linon"
respexitque suam quae stabat proxima fratri
Calliopen et ait: „Tu quoque vulnus habes.
v. 9 numina cum videas duris obnoxia fatis,
invidia possis exonerare deos."»

4. varia.

hac appendice nonnulla mihi liceat proferre memoratu ut puto non indigna, quae adeo sunt disiecta, ut certo ordini non potuerim inserere.

1)

lucerna taciturna complexuum testis inducitur. hunc *τόπον* percrebro usurpaverunt epigrammatistae Graeci erotici:

A P V 4 (St 3)
«*Τὸν σιγῶντα, Φιλαινί, συνίστορα τῶν ἀλαλήτων
λύχνον* . . . . »

A P V 5 (St 4); 7 (St 6); 128 (St 127) 166 (St 165); 197 (St 196); 263 (St 262).

aliquoties hunc locum communem repperi in Martialis epigrammatis. eo maius hoc habet momentum, quod Martialis carmina *ἐρωτικά* ab ingenio suo alienissima omnino repudiavit. inspicias velim haec: XI 104$_{,5}$;

XIV 39:
«Lucerna cubicularis.»
«Dulcis conscia lectuli lucerna,
quidquid vis facias licet, tacebo.»

X 38$_{,6}$:
«O quae proelia, quas utrimque pugnas
felix lectulus et lucerna vidit . . .»

hoc epigrammate extremo allato praeter lucernam lectulus testis commemoratur. quem *τόπον* in Graecis epigrammatis inveni his:

A P V 4 (St 3)
(v 5) «*σὺ δ' ὦ φιλεράστρια κοίτη,
ἤδη τῆς Παφίης ἴσθι τὰ λειπόμενα.*»

A P V 181 (St. 180)
(12) «*ὧν κλίνη μάρτυς ἐπέγραφετο.*»

neque reticere possum etiam Propertium hunc locum praestare II 12
«O me felicem, o nox mihi candida et o tu
lectule deliciis facte beate meis.»

2)

optime Jacobsius A P V 129 (St 128), quo epigrammate saltatrix laudatur, quod non modo artem suam egregie factitat, sed etiam senum excitat libidinem, comparavit cum Martialis epigrammate VI 71, quo idem argumentum alio adiecto acumine profertur. addendum est similem sententiam etiam alibi Martialem expressisse:

V 78$_{,26}$ sqq.; XIV 203 (cf Iuv. 11$_{,162}$ sqq.)

3)
persaepe Graeci epigrammatographi *γελοῖον* efficiunt ratione ad fabulas deorum heroumque adhibita. ex innumerabili, quae mihi praesto est, copia depromo exempla haec:
A P V 30 (St 29); 257 (St 256) 309 (St 308).
Martialis hunc locum communem perraro usurpavit. sed si M. XIV 175 respexeris et cum nonnullis Graecis epigrammatis, quae simile praebent argumentum, comparaveris, quin etiam hac in re Graeca secutus sit vestigia, non dubitabis:

«Cur a te pretium Danae, regnator Olympi,
accepit, gratis si tibi Leda dedit?»

A P V 31 (St 30)
(v 5) *«δοκέω δ', ὅτι καὶ Δανάῃ Ζεὺς*
οὐ χρυσός, χρυσοῦς δ' ἦλθε φέρων ἑκατόν.»

A P V 33 (St 32)
«Ἐς Δανάην ἔρρευσας, Ὀλύμπιε, χρυσός, ἵν' ἡ παῖς
ὡς δώρῳ πεισθῇ, μὴ τρέσῃ ὡς Κρονίδην.»

A P V 64 (St. 63), 125 (St. 124);
V 217 (St 216)[1])
«Χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ἅμμα κορείας
Ζεὺς διαδὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους.
φαμὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε· χάλκεα νικᾷ
τείχεα καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.» e. q. s.

4)
masturbator irridetur a Martiale IX 41. cf. praeterea XII 95. — A P V 302 (St 301). imprimis comparatu digna sunt verba haec:

A P V 302 (301)
(v 19) *«τὸν δ' Ὑμέναιον*
ᾔειδεν[2]) *παλάμῃ, Λαΐδος οὐ χατέων.»*

M XII 95
(v 4) «sed puella
sit tecum tua, ne talassionem
indicas manibus libidinosis
et fias sine femina maritus.»

---

[1]) non exigui momenti ponderisque puto haec epigrammata ad Hor. c. III 16 interpretandum adhibere. imprimis epigrammatis A P 217 (216) argumentum consimile est Horati carminis memorati. hoc, si recte iudico, Kießling-Heinze neglexerunt adnotare dicentes: «Woher Horaz diese rationalistische Deutung des alten Mythos . . . entlehnt hat, läßt sich nicht nachweisen.» multo autem longius a recto deerravit Jacobsius, qui ad A P 217 (216) adscripsit: «Putes Paulum, qui Latinos poetas cognitos habuisse videtur, Horatium respexisse.» immo vero hoc quoque loco statuendum est et Graeco et Romano poetae carmina nota fuisse priorum temporum, in quibus illud argumentum inerat. iam manifestum est Ovidi am. III, 8,29, quem locum afferunt Kießling-Heinze, ab Horatio omnino non pendere.

[2]) Martialis quoque verbis allatis comprobatur librorum lectio ‚*ᾔειδεν*‘, quam Bothius nescio quo pacto coniectura: ‚*ᾔρειδεν*‘ in peius verterat.

5)
in Homeriacum hemistichion ‚*τὸν δ' ἀπαμειβόμενος*‘ paroemiace usurpatum cadunt epigrammata haec: A P XII 4—M I 45.

6)
Friedlaender ad M II 9,$_1$ adnotat Martialem ‘*dare*‘ vocabulum persaepe obscaene usurpare non aliter ac Graecos scriptores, ‚*χαρίζεσθαι*‘ vocabulum. sed monendum est etiam Graecos epigrammatistas interdum in illa sententia ‚*διδόναι*‘ vocabulum adhibere: A P V 103 (St 102); similiter ‚*posse*‘ plerumque obscaene a Martiale adhibetur (cf. Frdl. ad M III 32) — A P XII 11 ‚*δύνασθαι*‘.

7)
compluries Martialis in hominem invehitur, qui quamquam omnia factitat belle, nulla factitat bene (*ardalio.* Phaedr. II 5,$_3$ ‚multo agendo nil agens.‘)
M II 7 (I 9); X 46; XII 39.
maxime autem conferenda sunt haec:

M II 7,$_7$:
«nil bene cum facias, facias tamen omnia belle.
vis dicam quid sis? magnus es ardalio.»

A P XI 355:
«Πάντα μὲν οἶδα, λέγεις· ἀτελὴς δ' ἐν πᾶσιν ὑπάρχεις,
γευόμενος πάντων οὐδὲν ἔχεις ἴδιον.»

8)
iam Duebner admonuit Crinagorae ep. IX 562 argumentum simile esse Mart. XIV 73 (de Caesaris psittaco). cf. Stadtmuelleri adnotationem ad Graecum epigramma.

9)
Martialis I 57 enarrat, qualem concupiscat puellam, verbis his:
(2) «nolo nimis facilem difficilemque nimis.
illud quod nimium est atque inter utrumque probamus:
nec volo quod cruciat nec volo quod satiat.»

hoc epigramma ab Ausonio 36 (39) in suum usum vocatum esse recte adnotavit Friedlaender. sed similis argumenti nonnulla Graeca exstare epigrammata neglexit commemorare. eorum unum, quod prae manu habeo, proponere mihi licitum sit. praemonendum autem est nihil referre, utrum de puella loquatur poeta (cuius generis epigrammata *ἐρωτικά* nominantur) an de puero (quale epigramma *παιδικῶν* numero inseruerunt viri docti): A P XII 200:

«Μισῶ δυσπερίληπτα φιλήματα, καὶ μαχιμώδεις
φωνὰς καὶ σθεναρὴν ἐκ χερὸς ἀντίθεσιν·
καὶ μὴν καὶ τόν, ὅτ' ἐστιν ἐν ἄγκασιν, εὐθὺ θέλοντα
καὶ παρέχοντα χύδην, οὐ πάνυ δή τι θέλω·
ἀλλὰ τὸν ἐκ τούτων ἀμφοῖν μέσον, οἷον ἐκεῖνον
τὸν καὶ μὴ παρέχειν εἰδότα καὶ παρέχειν.»

(cf. ad hoc M IV 38; IV $29_{,5}$) cf. A P V 42 (St 41). neque facere possum, quin commemorem, quamquam utrumque carmen in antithesin figuram cadit, tamen aliquantum interesse. nam illius Latini epigrammatis ultimus versus figura rhetorica in duas discinditur partes, Stratonis autem versus, etsi caesura contraposito augetur, tamen, quod ‚εἰδότα‘ vocabulum ad utrumque κῶλον referendum est, artissime cohaeret [1]).

10)

adicio duo epigrammata, quibus alia μεσότης praedicatur a poetis.

A P V 37 (St 36)

«Μήτ᾽ ἰσχνὴν λίην περιλάμβανε μήτε παχεῖαν.
τούτων δ᾽ ἀμφοτέρων τὴν μεσότητα θέλε . . . .»

M XI 100

(5) «Habere amicam nolo, Flacce, subtilem . . .
sed idem amicam nole mille librarum . . .»

11)

Martialis X 13 hominem ditissimum illudit, qui opibus male usus sine intermissione animum suum cruciat, quod non potest recedere ab amoris in puellam fastosam furore:

(7) «ad nocturna iaces fastosae limina moechae.
et madet heu lacrimis ianua surda tuis,
urere nec miserum cessant suspiria pectus . . .»

hic est τόπος pertritus Graecorum carminum amatoriorum, quem Martialis — Graecum poetam iam ante Martialem iocose immutasse ego quidem ostendere nequeo — in risum deflexit. haec Graeca velim inspicias exempla:

A P V 189 (St 188)

«Νὺξ μακρὴ καὶ χεῖμα, μέσην δ᾽ ἐπὶ Πλειάδα δύνει,
κἀγὼ πὰρ προθύροις νίσσομαι ὑόμενος,
τρωθεὶς τῆς δολιῆς κείνης πόθῳ . . . .»

(cf. A P V 191 (St 190).

12)

A P V 116 (St 115) poeta puerorum amatori, qui ex hoc morbo nullo remedio sanus fieri potest, ut puellam torqueat eiusque culo suadet utatur. ad idem argumentum Martialis ep. XI 43 pertinere, quo uxor maritum, ut illud adhibeat remedium, orat, Jacobsius recte admonet (*torquere* M v 7 = στρέφειν A P v 5).

13)

persaepe Martialis ludibrio invehitur in homines, qui foetorem redolent. qua in re etsi plerumque de odore cogitat, qui stupro foedissimo effectus est, tamen homines male olentes aliquoties

---

[1]) cf. p. 55.

perstrinxit ita, ut cavillationi illud vitium non videatur subiecisse. similiter Graeci epigrammatistae interdum ludibrium verterunt ‚εἰς βαρυόδμους‘. maxime comparatu digna esse puto haec epigrammata:

A P XI 240: (Lucilli.)

«Οὐ μόνον αὐτὴ πνεῖ Δημοστρατίς, ἀλλὰ δὴ αὐτῆς
τοὺς ὀσμησαμένους πνεῖν πεποίηκε τράγου.»

M III 17

scriblita candens in cena proponitur. Sabidius

(4) «sufflavit buccis terque quaterque suis.
illa quidem tepuit digitosque admittere visa est,
sed nemo potuit tangere: merda fuit.»

III 28:

«Auriculam Marco graviter miraris olere.
tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.»

VII 94:

«Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat;
olfecit postquam Papilus, ecce, garum est.»

malum odorem cum foetore caprino comparat (cf. A P XI 240) Mart. IV $4_{,4}$.

compluries epigrammatistae foetentes adeo irrident, ut eorum nates non peius olere fateantur quam os eorum: A P XI 241, 242, 415. — similis est Martialis iocus II 42.

bis Martialis permultas comparationes ὑπερβολικῶς adhibuit, ut hominem male olentem ludificaretur. IV 4, VI 93. hunc locum communem Martialem ex Graecis sumpsisse epigrammatis iam dudum est exploratum (cf. A P XI 239 Lucilli).

14.)

a) apte viri docti monuerunt Martialem non primum libris prologos praemisisse eosque epilogis conclusisse, sed etiam antea Catullum, Ovidium, Horatium aliosque eandem rationem adhibuisse [1]). etsi in multis eum horum Romanorum poetarum vestigia insecutum esse negari nequit, tamen dicere puto par est, uti cetera omnia, ita hunc quoque morem Romanos epigrammatistas ex Graeco fonte hausisse.

exordia in Graecis epigrammatis cum alia, tum inveni haec: XII 1, 2, 256; epilogos hos XII 257, 258.

b) imprimis memoratu dignum mihi videtur Martialem et Graecos poetas non satis habere uno epigrammate librum inchoare, sed praeponere complura. (velut A P XII 1, 2 — M III 1—5; XI 1—3). nisi omnia me fallunt, ante Martialem Romani poetae omnino non, Martialis ipse persaepe hunc usum usurpavit.

---

[1]) in Catulli prooemio Meleagri exemplum exstare docuit Norden in ‚Einl. in die Altertumsw.‘ p. 478.

c) XII 2 Strato se non fabulas heroum cantaturum esse, sed Amorem cum Gratiis Bacchoque iunctum carminibus celebraturum admonet lectores:

«Μὴ ζήτει δέλτοισιν ἐμαῖς Πρίαμον παρὰ βωμοῖς,
μηδὲ τὰ Μηδείης πένθεα καὶ Νιόβης,
μηδ' Ἴτυν ἐν θαλάμοις καὶ ἀηδόνας ἐν πετάλοισιν·
ταῦτα γὰρ οἱ πρότεροι πάντα χύδην ἔγραφον·
ἀλλ' ἱλαραῖς Χαρίτεσσι μεμιγμένον ἡδὺν Ἔρωτα,
καὶ Βρόμιον· τούτοις δ' ὀφρύες οὐκ ἔπρεπον.»

eandem sententiam Martialis expressit locis permultis, quorum nonnullos inspiciendos propono:

XI 2

«Triste supercilium durique severa Catonis
frons . . . .
(4) . . . . ite foras.
clamant ecce mei ‚Io Saturnalia' versus . . .
(7) lectores tetrici salebrosum ediscite Santram:
nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.»

I 4

«Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos,
terrarum dominum pone supercilium.» e. q. s.

X 4

(v 9) «non hic Centauros, non Gorgonas Harpyiasque
invenies: hominem pagina nostra sapit e. q. s.»

praeterea animum quaeso advertas ad IV 49, VIII 3, IX 50.

d) non ab re erit commemorare etiam Graecos epigrammatistas libris suis inseruisse carmina in imperatorem facta. inspice exempla haec, quorum argumenta nonnulla Martialis carminum sunt consimilia: A P IV 3 b; XI 75, 116, 132, 185, 247.

e) persaepe Martialis librum inducit ipsum loquentem. Graecum exemplar, si A P XII 257, in quo coronis loquitur, excipitur, indagare non potui. sed quid mirum? perpauca enim Graeca epigrammata eorum, quae in poetarum libris ipsis initii et exitus locos obtinebant, nobis sunt servata, quod non apta iis, qui epigrammata collegerunt, videbantur ad coronam contexendam. atque pauca eius generis, quae exstant epigrammata, idoneo loco, i. e. in exordio et in exitu librorum inveniuntur.

f) denique obiter adnoto morem libri amicis dedicandi, quo plerumque Martialis usus est, me semel invenisse in Graecis epigrammatis A P XII 257. cf. ‚Graefenhain, De more libros dedicandi'. (Diss. Marp. 1892). qui de Martiale exposuit pp. 18, 33 adn., 56. sed non ita magnum ex hoc libello percepi fructum, cum auctor Romanos non imitatos esse existimet Graecos poetas hac in re, sed morem apud utrosque per se ortum et excultum esse. (cf. p. 4 illius dissertationis).

C. De ornamentis rhetoricis.

progredior nunc ad alteram dissertationis partem, qua breviter conabor exponere, quomodo Graeci epigrammatographi, quomodo Martialis carmina rhetorice ornaverint. profecto autem non adeo sum stultus, ut hanc quaestionem plane cumulateque perficere posse mihi videar. sed quoniam permultum interest cognoscere, num Martialis hac quoque in re Graeca secutus sit vestigia et quoad quaque de causa de his decesserit vestigiis, mihi liceat proponere, quae carminibus perlustratis ad lucem me puto protulisse.

§ 1.

de comparatione.

atque primum quidem pauca disseram de ornamento usitatissimo, dico comparationem[1]). non minus quam Graeci poetae epigrammatum Martialis saepe, ut est consentaneum, eam adhibuit et ex vita herbarum sumptam et bestiarum et hominum et deorum heroumque. sed quamquam omnia nondum possum in medium proferre argumenta, tamen hoc perspicuum esse videtur et evidens Martialem plerumque alias comparationes atque Graecos auctores in usum vertisse, ac plurimas quidem puto a Romanis poetis, quos eum imitatum esse iam pridem est exploratum, accepit, multas debuit rhetorum doctrinae, paucas suo ipsius ingenio.

a) itaque singula, quae cum Graecis poematis congruunt, exempla haud scio an non digna sint commemoratu. liceat tamen haec proponere:

vetularum aetas cum *cornicum* aetate comparatur: A P XI 69;$_{,1}$; 361$_{,7}$; V 289 (St. 288), $_{1}$. — Mart. X 67$_{,5}$ (cf. Frdl. a. l.)

eadem sententia adhibentur:

Nestor[2]) A P XI 72$_{,2}$; V 31 (St 30)$_{,5}$ — M VI 70$_{,12}$; V 58$_{,5}$; VIII 64$_{,14}$ IX 29$_{,1}$ aliisque locis.

Hecuba A P XI 408$_{,6}$; V 103 (St 102)$_{,4}$ — M. III 32$_{,3}$ 76$_{,4}$.

Priamus A P XI 132$_{,3}$; V 103 (St 102)$_{4}$ — M II 64$_{,3}$ VI 70$_{,12}$ V 58$_{,5}$ alibi.

---

[1]) hoc in numero colloco etiam metaphoram atque metonymiam, quod, cum in troporum materia sola vertatur, singulos discernere non modo supervacaneum est, sed etiam, si ita rem instituerem, non seiungenda separarem.

[2]) de Homeriacis personis metaphorice adhibitis egit Friedlaender S G I 516. sed uno excepto hic Latinorum solorum testimonia poetarum nonnulla contulit.

Hecubae anui opponitur puella pulchra: *Helena* A P XI $408_{,6}$, *Andromache* M III $76_{,4}$.

Paris (uxoris raptor) A P XI 278 — (M XII 52).

Helena (uxor rapta) A P XI 278 — M I $62_{,6}$.

res pulchra comparatur cum

Phaeacum terra A P XI $44_{,6}$ — M VIII $68_{,1}$ X $94_{,2}$; XII $31_{,9}$; XIII $37_{,1}$

Machaon (medicus) A P V 225 (St $224)_{3}$ — M II $16_{,5}$.

metonymice pro vino in usum vocatur:

Dionysos A P XI 295.

Bacchus A P XI $24_{,3}$; $25_{,3}$; $34_{,7}$. — M XIII 23 et saepenumero.

Lyaeus A P XI $63_{,5}$ — M IX $61_{,15}$.

pro aqua:

Nympha A P XI $49_{,3}$ — M VI $43_{,2}$; $47_{,1}$.

pro pane:

Demeter-Ceres A P XI $60_{,4}$ (*μήτηρ Φερσεφόνης*) — M III $58_{,6}$.

Croesus (dives) A P XI $3_{,1}$ — M V $39_{,8}$; XI $5_{,4}$.

Pylades et Orestes (intimi) A P XI 362 — M VI 11; VII $24_{,3}$; VII $45_{,8}$; X 11.

Irus (pauperrimus) A P XI $209_{,3}$; $320_{,2}$ — M V $39_{,9}$; VI $77_{,1}$; XII $32_{,9}$.

cum de luscinia agitur, interdum adluditur ad

Philomelae historiam A P V 237 (St 236) — M XIV 75; I $53_{,9}$.

catenae Lemniacae A P V 286 (St $285)_{6}$ — M V $7_{,7}$.

pueri pulcherrimi componuntur cum

Ganymede A P XII 65; 64; 67 — M. saepissime. exempla propono pauca: II $43_{,14}$; X $66_{,8}$; XI $22_{,2}$; $26_{,6}$.

Lais, illa Corinthia meretrix (Gell. I, 8), puella libidinosa A P V 302 (St $301)_{,20}$ — M X $68_{,12}$; XI $104_{,22}$.

b) non raro comparationem auctitant poetae, cum dicant hominem non modo cum deo vel heroe quodam componendum esse, sed etiam virtutes eius superare. simile artificium adhibetur in hominibus pessimis vitiosisque describendis. ex innumerabili exemplorum copia eximo haec: A P XI 131; 133; 196; 239; 96; V 236 (St 235) — M VI 77; VIII 46; VII 69; VIII 59, 68; IX 51; 68; 71.

imprimis velim conferas epigrammata haec:

A P XI 379 (*εἰς πολυφάγον*):

(v 7) *«εἰ δέ ποτ' ἐς τεὸν οἶκον ἐλεύσομαι, οὐ μέγ' ἄνυσσεν*
Λαρτιάδης Σκύλλης χάσμασιν ἀντιάσας·
ἀλλ' ἔσομαι πολύτλας τις ἐγὼ πλέον, εἰ σὲ περήσω,
Κύκλωπος κρυεροῦ μηδὲν ἐλαφρότερον.»

M III 64:

«Sirenas hilarem navigantium poenam
blandasque mortes gaudiumque crudele,
quas nemo quondam deserebat auditas,
fallax Ulixes dicitur reliquisse.
non miror: illud, Cassiane, mirarer,
si fabulantem Canium reliquisset.»

praeterea cf. A P V 161 (St 160) V 241 (St 240).

c) persaepe inveni Graeca epigrammata, quae exitum i. e. acumen habent in comparatione. pauca mihi satis est afferre exempla:

A P V 106 (St 105); 110 (St 109); 114 (St 113); 123 (St 122). XI 28, 51, 136, 227, 390. unum mihi liceat exscribere:

A P XI 9:

«Μὴ πάλι μοι μετὰ δόρπον, ὅτ' οὐκέτι γαστέρα πείθω,
οὔθατα καὶ χοίρων ἄντα τίθει τεμάχη
οὐδὲ γὰρ ἐργοπόνοισι μετὰ στάχυν ὄμβρος ἄκαιρος
χρήσιμος, οὐ ναύταις ἐν λιμένι Ζέφυρος.»

Martialis hanc acuminis formam valde simplicem etsi non ita multum in suum convertit usum, tamen non repudiavit prorsus. inspicias velim epigrammata haec:

M V 35, VII 42, IX 81, 99; X 59; 90; XII 36. etiam hoc loco unum perscribo exemplum:

XII 84

«Nolueram, Polytime, tuos violare capillos,
sed iuvat hoc precibus me tribuisse tuis.
talis eras, modo tonse Pelops, positisque nitebas
crinibus, ut totum sponsa videret ebur.»

d) hoc loco non possum quin moneam interdum acumen inesse in sententia, qua finitur carmen. hunc locum communem cum alibi repperi tum: A P V 72 (St 71); XI 47; 18; 31.

XII 12:

«Ἄρτι γενειάζων ὁ καλὸς καὶ στερρὸς ἐρασταῖς
παιδὸς ἐρᾷ Λάδων. σύντομος ἡ Νέμεσις.»

eundem *τόπον* Martialis adhibuit plerumque. sed permultum interest inter Graecos epigrammatographos et Martialem, quod illi sententias afferunt usitatissimas, Martialis non communes vulgaresque sententias usurpat, sed improvisas atque necopinatas. quid mirum? iam hic praemonendum est — quod infra accuratius tractabimus — Martialis omnia fere carmina in acumina cadere rhetorica. paucis rem illustrabo exemplis; non tota autem exscribam epigrammata, sed solas sententias:

II 12: «non bene olet, qui bene semper olet.»

III 9: «non scribit, cuius carmina nemo legit.»

IV 78: «deformius, Afer,
omnino nihil est ardalione sene.»
VI 27: «possunt et patres vivere, crede mihi.»
VI 34: «pauca cupit, qui numerare (sc. basia) potest.»
XI 32: «non est paupertas, Nestor, habere nihil.»
XII 10: «fortuna multis dat nimis, satis nulli.»
XII 63: «nil est deterius latrone nudo,
nil securius est malo poeta.»

e) praeterea aliquantum interest inter Graecos poetas et Martialem, quod hic persaepe non satis habet unam vel paucas comparationes ad rem explicandam proferre, sed helluatur, ut ita dicam, permultis exemplis allatis rem illustrare atque repraesentare, Graeci epigrammatistae hanc artem non nisi rarissime adhibent[1]). atque primum quidem nonnulla Graeca propono exempla, quorum unum ut melius rem explanem, exscribo:

AP XI 239 (Lucilli)

«Οὔτε Χίμαιρα τοιοῦτον ἔπνει κακὸν ἢ καθ' Ὅμηρον,
οὐκ ἀγέλη ταύρων, ὡς ὁ λόγος, πυρίπνους,
οὐ Λῆμνος σύμπασα, καὶ Ἁρπυιῶν τὰ περισσά,
οὐδ' ὁ Φιλοκτήτου ποὺς ἀποσηπόμενος·
ὥστε σε παμψηφεὶ νικᾶν, Τελέσιλλα[2]), Χιμαίρας,
σηπεδόνας, ταύρους, ὄρνεα Λημνιάδας.»

ad haec conferas AP XI 67, 78, 227. Martialis ex numero exemplorum paene innumerabili affero haec: III 65, VI 93, IX 57, XI 8, XI 21, XI 43.

exscribatur, si placet, IV 4, cuius materia quoque eodem spectat quo illud Graecum, quod totum proposui, epigramma:

«Quod siccae redolet palus lacunae,
crudarum nebulae quod Albularum,
piscinae vetus aura quod marinae,
quod pressa piger hircus in capella,
lassi vardaicus quod evocati,
quod bis murice vellus inquinatum,
quod ieiunia sabbatariarum,
maestorum quod anhelitus reorum,
quod spurcae moriens lucerna Ledae,
quod ceromata faece de Sabina,
quod vulpis fuga, viperae cubile,
mallem quam quod oles olere Bassa.»

---

[1]) non huc spectant epigrammata, in quibus obsecrationes insunt, quia semper homines deum deamve implorantes omnia nomina virtutesque numinis nuncupabant, ne ulla re omissa precationem non admitteret.

[2]) hoc nomine Martialis utitur VI 7, XI 97.

§ 2.
de cumulatione.

sed etiam si comparationes non adhibet, Martialis permultas res solet cumulare, ut id, quod illustrare habet in animo, explicatius reddat et significantius. hoc ornamentum Graeci epigrammatistae, si recte iudico, perraro ad usum transferunt. (cf. AP V 76 [St 75]). Martialis autem testimonia, quae permulta mihi praesto sunt, duobus epigrammatis totis perscriptis satis habeo nonnulla afferre:

I 77:

«Pulchre valet Charinus, et tamen pallet;
parce bibit Charinus, et tamen pallet;
bene concoquit Charinus, et tamen pallet;
sole utitur Charinus, et tamen pallet;
tingit cutem Charinus, et tamen pallet;
cunnum Charinus lingit, et tamen pallet.»

XII 59:

(v 4) «te vicinia tota, te pilosus
hircoso premit osculo colonus,
hinc instat tibi textor, inde fullo,
hinc sutor modo pelle basiata,
hinc menti dominus pediculosi,
nec deest hinc oculis et inde lippus,
fellatorque recensque cunnilingus:
iam tanti tibi non fuit redire.»

quicunque pauca admodum Martialis epigrammata legerit, perbrevi quin intellecturus sit non dubium est illam cumulationem non casui deberi, sed consulto esse factam. sed cum hac in re Martialis Graecos poetas non insecutus sit, quosnam habuit auctores ad imitandum? huius rei opinor facilis est et prompta responsio. nam ut cetera omnia poeseos genera, imprimis Caesarum aetatis arte rhetorica ducuntur atque reguntur, perinde epigrammata permultis variisque rhetoricis luminibus collustrantur. sed cum Graeca epigrammata, etsi non immunia artis sunt rhetoricae, tamen ea non ita large effuseque affecta sint, Martialis omnia artificia adhibet rhetorica, quibus *γελοῖον* moveat et amplificet. permultum mihi videtur interesse Graeca et Martialis epigrammata hoc discrimine separare, quia, si id neglexímus, quare Martialis ipsius epigrammata plurimam vim habuerint ad omnes posteros epigrammatistas non potest satis intellegi.

adiungo nunc locos, quibus Martialis, qualem sermonem adhiberet loquendi, ipse est professus.

atque primum quidem epigrammata velim respicias supra commemorata (p. 25 sq): V 10. VIII 69. XI 90. quibus quamquam Graecos poetas simile proferentes argumentum eum insecutum esse demonstravimus, tamen eum hic, quid ipse de re sentiret pronuntiasse verisimillimum, ne dicam manifestum esse puto. dilucide opinor apparere videtur Martialem stare ab eis, qui veterum poetarum serviles imitatores respuunt et novum genus elegans et temperatum sequuntur.

quo excursu facto redeamus, de qua longius degressi sumus, ad quaestionem, unde petiverit Martialis cumulationum studium amoremque. non aliter puto respondendum est atque hunc in modum: cum haec cumulatio ab epigrammatum genere, cuius proprius erat sermo contractus et astrictus, primitus alienissima [1]), apud rhetores in summis esset deliciis, sequitur, ut hac quoque in re Martialis rhetorum vestigiis institerit.

excerpam nunc ex copia exemplorum, quibus res demonstretur, unum:

Seneca epp 47_{1}:

«,servi sunt.' immo homines.
,servi sunt.' immo contubernales.
,servi sunt.' immo humiles amici.
,servi sunt.' immo conservi . . . [2])»

§ 3.

de superlatione.

denique breviter de superlatione explicabo. quamquam omnes fere comparationes *τὸ ὑπερβολικόν* in se continent, tamen separatim inspiciendi sunt loci, quibus aliquid dicitur, quod ut Ciceronis afferam definitionem [3]) *fieri nullo modo possit, augendae rei gratia aut minuendae.* Graeci epigrammatistae superiectionem in usum converterunt creberrime. respicias quaeso haec:

A P XI 82, 83, 85, 86, 87—95, 245, 247, 249, 265, 405, 406.

iam pridem observarunt commentatores, quae similitudo inesset inter A P XI 249 et M XI 18. supra [4]) ostendimus M XII 88 apte

[1]) quae sententia apud Graecos communis exprimitur epigrammatis p. 25 perscriptis.

[2]) quam sunt similia, quod structuram attinet, Martialis verba I 77 supra (p, 43 sq.) exscripta.

[3]) top. 45.

[4]) cf. p. 17.

conferri cum A P XI 190, 198, 342. addo nonnulla exempla ut puto non neglegenda: M VIII 33 (in phialam praetenuem), I 26 (in potatorem). praecipue Graeci poetae superiectionibus student adhibendis, cum cavillantur vitia corporis: A P XI 87 (in hominem praelongum), XI 88 (in puellam pusillam), XI 91—95, 100—102 (in homines incredibiliter maculentos). similiter Martialis usurpat hyperbolas in homine calvo describendo: V 49. praeterea quod respiciatur puto dignum hanc figuram et Martialem et Graecos poetas adhibere in rhetore imperito deridendo: A P XI 146, 148, 149, 152—M V 21, 51, 54.

haec denique inter se praecipue duco conferenda epigrammata:

A P XI 109 (Lucilli.)

«Οὐδ' ἐπικύψαι ἔχει Δημήτριος οὐδὲν ὁ μικρός,
† ἀλλ' ἔρριπται χαμαὶ πάντοτ' ἐπαιρόμενος.»

89 (Lucilli.)

«Ὁ βραχὺς Ἑρμογένης, ὅταν ἐκβάλῃ εἰς τὸ χαμαί τι,
ἕλκει πρὸς τὰ κάτω τοῦτο δορυδρεπάνῳ.»

simillimum offendi iocum M XIV 197:

Mulae pumilae.

«His tibi de mulis non est metuenda ruina:
altius in terra paene sedere soles.»

sed quamquam praeter commemoratos nonnulli alii possunt loci indagari, quibus hyperbolen ad usum Martialis transfert, tamen dicendum est eum hanc figuram magis ridiculam quam rhetoricam plerumque respuere et non nisi raro adhibere. quod etiam colliges ex epigrammate postremo allato, cum poeta se modum transgressum esse ipse significet ,paene' vocabulo adiecto. atque quantum interest inter hanc Martialis superlationem et Graecorum poetarum, imprimis Lucilli, ut summo iure de A P XI 89 verba fecerit Boissonadius haec: ,*Lucillius hyperbolam in hyperbola quaerens ea scripsit, quae ipse non posset explicare.*'

§ 4.

de annominatione.

sed linquamus haec et animos vertamus ad annominationes, de quibus idem dicendum est quod modo diximus de hyperbolarum usu. Graeci adhibent hanc figuram saepissime (in A P XI, qui liber quadringenta quinquaginta fere continet epigrammata, offendi circiter quinquaginta lusus verborum = 11 %), Martialis in mille quingentis circiter epigrammatis circiter tricies quinquies (= $2^{3}/_{5}$ %). harum *παρονομασιῶν*, quae in Martialis exstant carminibus, decem intellegere nequiet nisi Graecae linguae peritus. eas liceat apponere:

I 30: *κλινικός* 1. = medicus 2. quia *κλίνη* idem significat quod *νεκροφορεῖον*.

I 50 *Mistyllos* — *Taratalla*
«*μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα.*» (*A* 465 alibique).

III 34 *Chione* 1. frigida 2. alba puella.

III 78 *Palinurus* 1. *παλίνουρος* (cf. Verg. Aen. VI 337 2. *παλίν-ουρος*[1]) 3. cum ‚Paulo' nomine luditur[2]).

IV 9 ‚*ἔχεις ἀσώτως.*' sic loquitur M. ad filiam ‚*Sotae*' medici.

VII 57 *πὺξ ἀγαθός* — *ἱππόδαμος*.
haec verba obscaene usurpantur.

I 98 *podagra* — *chiragra* (hoc morbo cliens laborat, quod causidico ‚*nil porrigit*').

III 67 ‚*Argonautas*' *διὰ τὸ ἀργοὺς ναύτας εἶναι.*

IX 12 *Oporinos* — *Chimerinos* — *Therinos* — (*Earinos*).

IX 95 *Alphius* — *Olphius ἀπὸ τοῦ ἄλφα καὶ ὦ(μέγα)*[3]).

plerumque lusus ita instituitur, ut rerum vel nominum etymon explicetur vel in ambigua vocabuli significatione iocetur. quorum plura supervacaneum est afferre exempla, quod non habeo quae conferantur cum Graecis epigrammatis digna. quoad videmus, Martialis iocos, quos adhibet, suo debet ingenio plurimos[4]).

alius est lusus, si una alterave vocabuli littera vel mutatur vel alia littera impletur. exempla propono haec:

A P XI 260:
«*Τοῦτο τὸ ‚βουλεύειν' εἶχες πάλαι; ἀλλὰ τὸ βῆτα*
οὐκ ἐπιγινώσκω· δέλτα γὰρ ἐγράφετο.»

consimiliter A P XI 337 iocus instituitur.

---

[1]) Friedl. a. l.: ‚Wortspiel mit *πάλιν οὐρῶν*'. sed commemorandum est illud vocabulum non Martialem hac sententia primum adhibuisse, sed etiam Graecos *παλίνουρον* hoc modo ridicule interpretatos esse. exstat enim apud Arcadium grammaticum. (72,27, Barker.)

[2]) Friedrich (Phil. LXVIII [1909] p. 110) coniecit Palinurum Martialem Paulum nominasse, quod sermone communi Paulus pronuntiabatur Palus. sed cum Dessau (Herm. XLV, 1910, p. 352) bonis argumentis usus illius nominis pronuntationem plebeiam Pollum fuisse praetendat, uter recte senserit, ego quidem nequeo disceptare.

[3]) hunc lusum verborum primus recte puto intellexit Crusius (Phil. LXV [1906] p. 159). addendum est etiam Martialem Beta vocabulum eadem significatione usurpasse qua Eratosthenes Beta vocatus est (V 26).

[4]) A P VI 216 et M IV 9 in eodem vocabulo lusus fit:
«Σῶσος καὶ Σωσὼ σωτήρια τόνδ' ἀνέθηκαν,
Σῶσος μὲν σωθείς, Σωσὼ δ' ὅτι Σῶσος ἐσώθη.»
«Sotae filia clinici, Labulla,
deserto sequeris Clytum marito
et donas et amas: *ἔχεις ἀσώτως*»

A P XI 427:
«*Δαίμονα πολλὰ λαλῶν ὀζόστομος ἐξορκιστὴς*
ἐξέβαλ' οὐχ ὅρκων, ἀλλὰ κόπρων δυνάμει.»

A P XI 69:
«*Τὰς πολιὰς βάψασα Θεμισθονόη τρικόρωνος*
γίνεται ἐξαπίνης οὐ νέα, ἀλλὰ Ῥέα.»

A P XI 230:
«*Μασταύρων ἀφελὼν δύο γράμματα, Μάρκε, τὰ πρῶτα,*
ἄξιος εἶ πολλῶν τῶν ὑπολειπομένων.»

cf. praeterea A P XI 181, 197, 222, 231, 426; XII 28.

Martialis respice haec exempla:

IX $21_{,4}$:
«Artemidorus amat, Calliodorus arat.»

XI $18_{,26}$:
«nam quo tempore praedium dedisti,
mallem tu mihi prandium dedisses.»

praeterea haec quaeso conferas epigrammata:

A P XI 296: «*ὄλμος ἄτολμος*»
276, 277: «*Μάρκος ὁ ἀργός*»
283: «*ῥήμασιν — ῥεύματα*»
«*Χαλκίδος ἀπεχάλκισεν.*»

M XII 39:
«Odi te, quia bellus es, Sabelle,
res est putida bellus et Sabellus,
bellum denique malo quam Sabellum,
tabescas utinam, Sabelle belle.»

IV $68_{,2}$:
«ut cenem invitor, Sexte an ut invideam?»

consimile autem est genus ludendi in his epigrammatis:

A P XII 97
«*Εὐπάλαμος ξανθὸν μὲν ἐρεύθεται, ἶσον Ἔρωτι,*
μέσφα ποτὶ Κρητῶν ποιμένα Μηριόνην·
ἐκ δέ νυ Μηριόνεω Ποδαλείριος οὐκέτ ἐς Ἠὼ
νεῖται . . .» e. q. s.

(cf. A P V 36 (St $35)_{,2}$).

M I 50:
«Si tibi Mistyllos cocus, Aemiliane, vocatur,
dicatur quare non Taratalla mihi?»

denique haec duo inter se compares quaeso in fellatores facta epigrammata:

A P XI 223:
«*Εἰ βινεῖ Φαβορῖνος ἀπιστεῖς· μηκέτ' ἀπίστει·*
αὐτός μοι βινεῖν εἶπ' ἰδίῳ στόματι.»

M II 31:

«Saepe ego Chrestinam futui. det quam bene quaeris?
supra quod fieri nil, Mariane, potest.»

ab eis locis, quibus poeta etymologia alicuius vocabuli ludit, discludenda sunt nomina, quae significandi causa ficta sunt. offendi in Anthologia Graeca argumenta haec:

XI 139 *Ζηνωνίς* femina philosophiae litterarumque studiosa.
XI 170 *Φείδων — φιλάργυρος.*
XI 219 *Πάμφιλος* — fellator *διὰ τὸ αὐτὸν πάντας φιλεῖν.*
XI 409 *Σειληνίς* (VII 456) ⎫
VII 455 *Μαρωνίς* ⎬ *φίλοινοι.*
VII 457 *Ἀμπελίς* ⎭
XI 429 *Ἀκίνδυνος — διὰ τὸ μέθης κίνδυνον φεύγειν.*
XI 105 *μέγας Εὐμήκιος — κατ᾽ εἰρωνείαν καὶ ἀντίφρασιν.*

nonnulla quae in Martialis epigrammatis exstant exempla collegit Friedlaender p 21. sed adicienda sunt haec:

Fidentimus I 29, 38, 53, 72 plagiator *κατ᾽ ἀντίφρασιν* (prout Eutrapelus VII 83)
Velox I 110 qui epigrammata longa reprehendit.
Plecusa II 66 — *πλέκουσα.*
Matronia III 32 *εἰρωνικῶς* anus nominatur.
Theodorus V 73 XI 93 malus poeta *κατ᾽ εἰρωνείαν.*

V 41 ‚*Didymus*.‘ non sine causa adhibuit poeta hoc nomen. moneo enim Philodemum (A P V 126 (St 125) ‚*δίδυμοι*‘ vocabulo ambigue esse usum.

XI 60 *Chione* puella nominatur, quae etsi forma excellit, tamen veneris sensu caret et lascivia, contra *Phlogis* nuncupatur puella minus formosa, quae ‚ulcus habet Priami quod tendere possit alutam‘.

§ 5.
de anaphora.

iam perpauca explicabo de anaphora. et Graecos epigrammatographos et Martialem hanc figuram persaepe in usum suum convertisse non indiget opinor demonstratione. ex Graecis epigrammatistis frequentissime elegantissimeque eam usurpaverunt, quantum scio, Callimachus et Philodemus: cf A P V 6 (St 5 W 25) XII 71 (W 30); XII 149 (W 45). — V 132 (St 131), X 21.

---

[1]) in huius vocabuli etymologia similiter ludit Mart. III 34, IX 49.

sed hoc quod moneam dignum est Martialem Catulli vestigia insecutum anaphoram adeo amplificare, ut non raro totum fere versum vel totum *κῶλον* semel compluriesve repetat. etiam Graeci epigrammatistae hanc anaphoram dilatatam, tametsi rarius et minus immodice, usurpaverunt. Martialis exempla, praesertim cum ab aliis collecta et tractata sint, afferre supersedeo et sola affero nonnulla Graecorum:

A P XI 338:

*«Τὴν φωνὴν ἐνοπήν σε λέγειν ἐδίδαξεν Ὅμηρος,
τὴν γλῶσσαν δ᾽ ἐνοπὴν τίς σ᾽ ἐδίδαξεν ἔχειν;»* [1])

A P XI 286[2]):

*«Οὐδὲν γυναικὸς χεῖρον, οὐδὲ τῆς καλῆς·
δούλου δὲ χεῖρον οὐδέν, οὐδὲ τοῦ καλοῦ.»* e. q. s.

216:

*«Τὸν φιλόπαιδα Κράτιππον ἀκούσατε· θαῦμα γὰρ ὑμῖν
καινὸν ἀπαγγέλλω· πλὴν μεγάλαι Νεμέσεις·
τὸν φιλόπαιδα Κράτιππον ἀνεύρομεν ἄλλο γένος τι
τῶν ἑτεροζήλων· ἤλπισα τοῦτ᾽ ἂν ἐγώ;
ἤλπισα τοῦτο Κράτιππε.»* e. q. s.

360 b (= 360_{5-6}):

*«Οὐκ οἶδα χῶρον τοῦ τρόπου κατήγορον,
τρόπον δὲ χώρου τὸν κατήγορον λέγω.»*

cf. XI 315 (p. 28 perscriptum), 388, 21, 184, 213. App. 8. V 222 (St 221).

semel inveni primum versus vocabulum in fine versus repetitum, quod Martialis est proprium epigrammatum:

A P XVI 236_4:

«τῶν ὀλίγων λαχάνων εἵνεκα; τῶν ὀλίγων.»

epigrammata autem, quorum finis redit in initium, offendi complura. (M. saepissime.)

V 203 (St 202), 209 (St 208); XI 44, 244, 254, 272, 275, 333. sed apud Graecos epigrammatistas saepe non ad verbum recipitur initium, sed ad sententiam. hoc solum cum Martialis arte componendi optime congruit:

---

[1]) quod infra de hac re non tractabo accuratius, hoc loco commemorandum est interrogationes eiusmodi Martialem saepe adhibere: cf. IX 47,7:

«Tu qui sectarum causas et pondera nosti,
dic mihi, percidi, Pannyche, dogma quod est?»

II 89,3:

«carmina quod scribis Musis et Apolline nullo,
laudari debes; hoc Ciceronis habes;
quod vomis Antoni, quod luxuriaris Apici;
quod fellas vitium, dic mihi, cuius habes?»

[2]) inspice Martialis verba simillimo modo composita, quae supra proposui (p. 42) XII 63.

A P XI 169:

«Ἐχθὲς ἀπάγχεσθαι μέλλων Δείναρχος ὁ φείδων,
Γλαῦκε δι᾽ ἓξ χαλκοῦς δύσμορος οὐκ ἔθανεν.
ἓξ χαλκῶν ἦν γὰρ τὸ σχοινίον· ἀλλ᾽ ἐδυσώνει,
εὔωνον ζητῶν ἄλλον ἴσως θάνατον.
τοῦτο φιλαργυρίας δεινῆς ὅρος, ὅς γ᾽ ἀποθνήσκων,
Γλαῦκε, δι᾽ ἓξ χαλκοῦς δύσμορος οὐκ ἔθανεν.»

§ 6.

de parodia.

iam descendimus ad *παρῳδίαν*, quam nuncupamus. atque primum quidem monendum est Martialem hanc figuram ita, ut singulos versus vel singula carmina apud omnes pervulgata in iocum inflecteret, non usurpasse, Graecos epigrammatographos compluries. (cf. A P XI 134, 178 (IX 715), 235, 236, 296, 400, 401.) non pauca autem exstant Martialis epigrammata, quae quamquam formas epigrammatum proprias praebent, tamen si argumentum, quod in eis inest, respexeris, quin non nisi ridendi causa ita concepta sint non poteris dubitare. praeterea autem monendum est Martialis *παρῳδίας* saepe non ita intellegendas esse, ut hoc artificio risum moveat, sed huius figurae fines apud antiquos scriptores non tam arctis inclusi erant terminis quam apud recentiores.

carminis d e d i c a t o r i i parodiam invenies his locis: A P VI 166, XI 80, 194, 258 — M III 29.

hic mihi liceat de formula optandi, quam persaepe adhibet Martialis, breviter exponere. deus si optata expleverit, quaecumque sibi cordi sint, ut optime semper fruatur, optat homo. quae formula facillime cognoscitur ‚sic' vocabulo. sed ut melius intellegas, unum saltem affero exemplum: M VI 16:

I { «Tu qui pene viros terres et falce cinaedos,
iugera sepositi pauca tuere soli:

II { s i c tua non intrent vetuli pomaria fures,
sed puer et longis pulchra puella comis.»

cf. Hor. c. I 3, M VII 29, 72, 74, 93, 96; IX 42, X 7, 33, 61 alibique.

ex his exemplis, si quis accuratius ea spectaverit, perfacile cognoscet Martialem illam formulam in usum vocare non modo, si deum, sed etiam si quem hominem ut optatis rogat respondeat. maxima vero arte Martialis ep. IX 90 composuit, quo bis illam formulam adhibuit hunc in modum:

v. 1—12 I a d F l a c c u m.
1—8 a) sic suaviter iucundeque vivas,
9—12 b) redi.
13—18 II a d V e n e r e m.
13—14 a) Flaccum remitte,
15—18 b) sic tibi largae victimae libentur.

restat, ut dicam illam formulam invasisse in sepulcralia quoque epigrammata, quibus defunctus gratias agit, quod viator lacrimas effudit, eique omnia bona concupiscit. (cf. M VII 96.)

sed redeamus. interdum Martialis formulam, de qua egimus, in parodiam traduxit: IX 58, XII 49, X 62.

hoc unum mihi liceat exscribere exemplum.

X 62:

«Ludi magister, parce simplici turbae:
I { sic te frequentes audiant capillati
et delicatae diligat chorus mensae
nec calculator nec notarius velox
maiore quisquam circulo coronetur.
. . . .
II { ferulaeque tristes, sceptra paedagogorum,
cessent et Idus dormiant in Octobres:
aestate pueri si valent, satis discunt.»

in hoc epigrammate altera pars perpaucis verbis iam in exordio praecipitur.

apud Graecos epigrammatistas perraro eius generis offendi exempla. conferas velim A P XI 206:

«Οὕτω σοι πέψαι, Διονύσιε, ταῦτα γένοιτο
πάντα· | νόμου δὲ χάριν, δός τι καὶ ὧδε φαγεῖν.
κἀγὼ κέκλημαι.» e. q. s.

hic quoque, quod iam alibi admonui, observandum est Martialem usque quaque illas duas partes ‚sic' vocabulo in versus initio posito evidenter alteram discindere ab altera, Graecos poetas diremptione abhorrere tanto opere, ut ne caesura quidem versus partes inter se separent.

parodiam denique carminum s e p u l c r a l i u m praebent A P XI 116, 118, 124, 312 — M IX 15, X 67, XI 14. sed Martialem IX 29 epigrammati in Philaenidem vetulam facto subtexuisse A P XI 226 in linguam Latinam versum iam dudum cognoverunt viri docti.

§ 7.

de optatione.

persaepe Martialis epigrammatis acumen ita instituit, ut ei quem cavillatur mortem vel rarius aliud optet malum. quae offendi exempla, omnia si licebit enumerabo: I 20, 43, 79, 99; II 14; III 30; IV 33, 77; VII 92; VIII 81; IX 2; XII 39, 40, 56. — I 26; IV 51; VII 55; XI 58, 73.

Graeci, si recte iudico, epigrammatistae hunc locum communem perraro adhibuerunt. uno, quod continuo exscribam, exemplo excepto vix reperias, quae suo iure cum Martiale conferantur, idonea (cf. XI 230, 322, 361.)

A P XI 231:
«Θηρίον εἶ παρὰ γράμμα, καὶ ἄνθρωπος διὰ γράμμα·
ἄξιος εἶ πολλῶν, ὧν παρὰ γράμμα γράφῃ.»[1])

M I $43_{,14}$:
«sed tu ponaris cui Charidemus apro.»

II $14_{,18}$:
«ad cenam Selium tu, rogo, taure, voca.»

sed etiam inter haec epigrammata pernimium interest, quod Graecus poeta optationem solo ex lusu grammatico sumit, Martialis, quare mortem optet, expressis enarrat verbis.

§ 8.

de contrario.

transeo iam ad antithesin tractandam figuram, quae apud Martialem tam saepe redit, ut in ea omnia fere epigrammata verti iusto iure possit praedicari. mirandumne id est? nam cum ex antiquissimis temporibus haec figura artis esset rhetoricae, ut in hac quoque re Martialis, quippe qui usque quaque rhetorum secutus sit vestigia, eorum praeceptis usus sit, ex rei sequitur ipsa natura. quamquam non raro unusquisque versus vel duo compluresve deinceps in contrariis positi sunt, maxime anthithesin in fine epigrammatis par est exstare et apparere. ex copia paene innumerabili ad rem illustrandam nonnulla decerpo exempla:

IX $68_{,10}$: «nam vigilare leve est, | pervigilare grave est.»
$_{12}$ «accipis ut clames, | accipere ut taceas.»

[1]) cf. p. 59.

II 30 «quod peto da, Gai: | non peto consilium.» [1])
X $13_{,10}$: «vis dicam, male sit cur tibi, Cotta? | bene est.»
$41_{,8}$: «discidium non est hoc Proculeia: | lucrum est.»
$51_{,18}$: «quae tua sunt, tibi habe: | quae mea, redde mihi.»
$55_{,7}$: «non ergo est manus ista, | sed statera.»
$82_{,8}$: «qui tibi non prosunt | et mihi, Galle, nocent.»
XI $50_{,12}$: «nil tibi, Phylli, nego: | nil mihi, Phylli, nega.»

hoc loco pauca addam de ὁμοιοτελεύτῳ, quod persaepe in pentametro invenitur. priusquam autem ad rem ipsam accedimus, commemorare mihi liceat de hac re breviter disputasse Nordenium adnotatione, quam fecit ‚Ant. Kunstpr.' II p. 840, adn. 2, qua ut accuratius hanc quaestionem instituerem, sum commotus. dicit enim non esse mirum, quod in elegiarum maxime pentametris tam saepe inveniantur ὁμοιοτέλευτα. namque facile hoc esse intellectu, si tecum reputaris poetas substantiva ab attributis in eandem syllabam cadentibus disiungere consuevisse. haec Nordeni sententia plerumque re comprobatur. sed non desunt loci, qui aliter sint diiudicandi. atque primum quidem tabulam propono, in qua litteram ‚a' imposui eis exemplis, quae ita expedienda sunt ut dixit Nordenius[2]), litteram ‚b' eis in quibus ὁμοιοτέλευτον antithesi vel parallelismo, quem nominamus, efficitur, litteram ‚c' eis, in quibus ὁμοιοτέλευτον casu videtur factum esse, litteram ‚d' locis dubiis.

[1]) ἐν παρεκβάσει adnoto huius epigrammatis memoriam servatam esse in fabula sine auctore proposita, quae argumento leviter submutato acumen praebet idem atque Martialis epigramma. etsi haec fabula lingua Francogallica scripta mihi innotuit, tamen a Martiale originem eam ducere pro certo habendum est non modo, quod non casu factum esse potest, ut in ea simile argumentum, idem insit acumen, sed etiam quod ea, quae narrantur, in Hispania gesta esse memorantur. sed uti saepe fieri solet, si fabula sine auctoris nomine pervulgatur, etiam haec fabula, qua via, ut ita dicam, ad nos progressa sit, ut cognoscamus non potest fieri. liceat mihi totam perscribere fabulam.

«F. de Donville: Mille et un calembourgs . . .» Paris, Garnier frères p. 146:

« Un gueux . . . demandait l'aumône sur une route cunduisant à Madrid. Un voyageur, importuné par ses supplications, lui dit: ‚N'êtes-vous pas honteux de faire un métier aussi vil, quand vous pourriez travailler?' — „Monsieur", répond le mendiant avec sa fierté castillane, „c'est de l'argent et non des conseils que je vous demande."

[2]) etiam in his non pauci sunt loci, in quibus ὁμοιοτέλευτον non sine consilio adhibitum videtur esse:
V 64,6: «cum doceant ipsos posse perire deos.»
XI, 43,12: «teque puta cunnos, uxor, habere duos.»
praeterea cf.: V 59,2; XI 107,4; XII 4,6; XIV, 27,2.

liber	a	b	c	d
Sp	18	3	—	—
I	32	7	3	—
II	17	7	—	4
III	25	5	2	1
IV	29	6	4	—
V	17	6	1	—
VI	33	7	2	1
VII	40	5	1	3
VIII	25	3	2	—
IX	45	7	2	3
X	44	4	4	1
XI	36	8	2	1
XII	27	2	3	2
XIII	10	4	1	—
XIV	28	5	1	—
Sa.	426	79	27	16

hac tabula, etsi magis hominis arithmetici quam philologi videtur esse, id perlucidum opinor factum est Martialem persaepe (circiter octogies) antithesin et parallelismum auxisse eo, quod *κῶλα* extremis syllabis consonantia reddidit.

id nonnullis exemplis casu oblatis aequum puto illustrare[1]):

sp $2_{,12}$: «deliciae populi, quae fuerant domini.»
I $31_{,8}$: «muneribus tonsum fac cito, sero virum.»
II $12_{,4}$: «Postume non bene olet, qui bene semper olet.»
III $26_{,2}$: «aurea solus habes, murrina solus habes.»
IV $71_{,6}$: «casta facit? non dat, non tamen illa negat.»
V $32_{,2}$: «non dedit uxori. ‚cui dedit ergo?‘ sibi.»
VI $45_{,4}$: «turpior uxor erit, quam modo moecha fuit.»
VII $36_{,6}$: «Stella tegis villam, non tegis agricolam.»
VIII $34_{,2}$: «quod sine te factum est, hoc magis archetypum, est.»

[1]) etiam in inscriptionibus interdum inveni *ὁμοιοτέλευτον*, quod non sine consilio factum est a poeta (form. b):

Buechel. Carm. ep. 921:

«Crux est vita mihi, mors, inimice, tibi.» 901, $945_{,2}$ (= $946_{,2}$), 958, 1490, 879.

apud Catullum repperi exempla sex: 72,4; 77,2; 84,2 et 12; 96,10; 97,12.

IX $21_{,4}$: «Artemidorus amat, Calliodorus arat.»
X $15_{,2}$: «sed dum ludit Aper, ludere novit Aper.»
XI $23_{,10}$: «basia, sive meus, sive erit ille tuus.»
XII $14_{,12}$: «Prisce, datum est equitem rumpere quam leporem.»
XIII $1_{,8}$: «alea nec damnum, nec facit ista lucrum.»
XIV $139_{,2}$: «indueras albas, exue callaïnas.»

iam si quis quaesiverit, num Graeci epigrammatographi antithesin adhibuerint, respondendum est eos, ut omnibus ex partibus carmina rarioribus exornaverunt luminibus rhetoricis, ita, de qua agimus, figuram non ita saepe usurpasse. atque ubicumque apud eos antithesis invenitur, plerumque sic adhibitam esse videmus, ut non singuli versus vel singula hemistichia inter se secernerentur, sed coniungerentur. namque priores epigrammatistae magis sententiae quam formae antithesin in usum solent vocare. complura autem a posteriobus poetis facta epigrammata ideoque pro aetate magis artificiis rhetoricis affecta vel dicam corrupta, quae cum Martialis conferantur carminibus, sunt dignissima. exempla propono haec:

AP XI 341:
«Αἰνίζειν μὲν ἄριστον | ὁ δὲ ψόγος ἔχθεος ἀρχή·
ἀλλὰ κακῶς εἰπεῖν | Ἀττικόν ἐστι μέλι.»

331:
«ἔπλεον ἢ παρὰ γῆν, | ἢ παρὰ Φερσεφόνην.»

$411_{,8}$:
«ἅπτε πυρὰν ξυλίνην, | δήμιε, μὴ λιθίνην.»

381:
«Πᾶσα γυνὴ χόλος ἐστίν· ἔχει δ᾽ ἀγαθὰς δύω ὥρας,
τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, | τὴν μίαν ἐν θανάτῳ.»

339:
«Τὴν κεφαλὴν σείεις | καὶ τὴν πυγὴν ἀνασείεις·
ἓν μὲν μαινομένου, | ἓν δὲ περαινομένου.»

378:
«Οὐ δύναμαι γαμετῆς καὶ γραμματικῆς ἀνέχεσθαι,
γραμματικῆς ἀπόρου, | καὶ γαμετῆς ἀδίκου.»

AP V 42 (St 41):
«ἡ μὲν γὰρ βραδέως, | ἡ δὲ θέλει ταχέως.»

V 94 (St 93):
«ἡμίθεος ὁ φιλῶν, | ἀθάνατος δ᾽ ὁ γαμῶν.»

XII 175:
«τὸν μὲν ἐπ᾽ οὐδὲν ἰδεῖν, | τὸν δ᾽ ἐπὶ μοῦνον ἰδεῖν.»

praeterea collegi exempla haec: AP IX 369; 748 (quod exscripsi p. 13), X $122_{,2}$; XI $189_{,6}$; $190_{,2}$; $191_{,6}$; $398_{,4}$.

§ 9.

de epigrammatum compositione.

non ab re erit obiter memorare Martialem plerumque summa arte tota epigrammata ita composuisse, ut, etsi numquam certis se alligavit legibus, tamen verba verbis, versus versibus quasi demensa et paria responderent. inspicias velim, quae de hac re disseruerit Paukstadt ‚De Martiale Catulli imitatore'. p. 32 sqq. hanc artem componendi Graeci epigrammatographi respuunt, si a paucis discedis, quae hic appono:

V 38 (St 37); V 94 (St 93); 95 (St 94); 186 (St. 185); 260 (St. 259); 306 (St. 305); 42 (St. 41). XI 389.

§ 10.

de acumine.

denique non praetermittendum puto, quin moneam Martialis omnia fere epigrammata ita composita esse, ut acumine, quod in ultimo versu, saepius in ultimo verbo, positum est, sint exornata. etiam hac in re diligentissimum se rhetorum discipulum praestitit. nam si quoscumque volueris libros arte rhethorica infectos respexeris, eandem eos praebere artem non dubium est quin inventurus, si Graeca perlustraveris epigrammata, non nisi rara inventurus sis exempla. pauca afferre nescio an non opus sit; sed ut res melius illustretur, nonnulla decerpam:

S e n e c a epp. 7,3:

«avarior redeo . . . immo vero crudelior et i n h u m a n i o r, quia i n t e r h o m i n e s fui.»

7,8:

«neve similis malis fias, quia multi sunt, neve inimicus multis, quia dissimiles sunt.»

8,5:

«cogitate nihil praeter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est.»

8,6:

«mihi crede, qui nihil agere videntur, maiora agunt.»

M X 13:

«vis dicam male sit cur tibi Cotta? bene est.»

IX 37:

«et sit lusca licet, te tamen illa videt.»

IX 6:

«pudor esse per te coepit et lupanari.»

VIII 77:

«longior huic facta est, quam data vita fuit.»

VIII 68:

«autumnum sterilis ferre iubetur hiems.»

VIII 13:

«M o r i o dictus erat: viginti milibus emi;
redde mihi nummos, Gargiliane, s a p i t.»

sed ex Graecis epigrammatis, ut dixi, perpauca, quae huc spectant, possunt afferri, exempla vero, in quibus acumen *παρὰ προσδοκίαν* — ut persaepe apud Martialem — redditur, rarissima sunt. haec sola ad respiciendum idonea mihi videntur esse:

XII 51 (Callimachi.)

3) «*καλὸς ὁ παῖς, Ἀχελῷε, λίην καλός· εἰ δέ τις οὐχὶ
φησὶν — ἐπισταίμην μοῦνος ἐγὼ τὰ καλά.*»

(cf. M VI 51:
«irascor: licet usque voces mittasque rogasque —
«quid facies?» inquis. quid faciam? — veniam.»)

XI 71,4
«*οὐκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει — ἀλλὰ τάφον.*»

XI 408 «*οὔποτε φῦκος
καὶ ψίμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην Ἑλένην*»

XI 84 «*πέντε δ' ἀπ' ἄθλων
πρῶτος ἐκηρύχθην — πεντετριαζόμενος.*»

sed quid multa? quamquam quin quaestionem ad finem perduxerimus, non paulum abest, tamen hoc quidem mihi videor docuisse etiam Martialis epigrammata, etsi perpauci Romani poetae tantum suo debent ingenio quantum ille, recte intellegi iusteque aestimari non posse, nisi et exemplaria Graeca et rhetorum praecepta ad conferendum adduxeris.

Appendix:

Quatenus Martialis singula carmina ordinaverit.

Cum nullus ut opinor vir doctus, quomodo multa deinceps Martialis epigrammata inter se cohaererent, explicatius disseruerit, operae pretium esse duco, quid de hac re elicuisse mihi videar, enarrare.

quod et spectaculorum quem nominamus librum et, qui epigrammatum corpori quartus decimus est adiunctus, librum attinet, iam dudum carminum conexum patefactum esse obiter admonere mihi liceat [1].

more ut supra demonstravimus Graeco Martialis persaepe epigrammata praeponit, quibus aut lectorem admonet, ut nugas suas benigne accipiat, aut amico patronove imperatorive ipsi librum dedicat. eodem modo libros concludere solet.

§ 1.

de Graecorum epigrammatistarum consuetudine.

sed cum Martialis cetera quoque epigrammata non modo metra variandi causa saepissime summa ordinaverit arte, quaerendum est, num iam ante eum epigrammatistae carminibus ordinandis studuerint. Catullus quantum intellego hoc solum spectavit, ut inter carmina eiusdem generis unum alius argumenti interponeret (Paukst. p. 7).

sed quomodo res se habet in Graecis epigrammatis? non proclive hoc est intellectu, quod, cum poetarum editiones aetatem non tulerint, nobis servata sunt sola corpora eorum, qui aliorum carminibus collectis inseruerunt sua. sed uno gravi opinor possum demonstrare argumento etiam Graecos epigrammatistas similem adhibuisse artem:

---

[1]) ed. Friedl. (1886) I p. 138. II p. 295. (Martialis ipse XIV 1,5 certum se servaturum esse ordinem praemonet).

hoc loco, quod Friedlaender ad sp. 32, in quo lacunam vindicat, adnotavit, conabor refutare. dicit enim haec: ‚Allerdings kann dies Distichon ein selbständiges Gedicht sein. Doch da Martial die Sammlung mit drei, direkt an den Kaiser gerichteten längeren Gedichten eingeleitet hat, dürfte er sie auch mindestens mit einem längeren beschlossen haben.‘ hanc sententiam improbandam esse duco non solum, quod argumento utitur exili, sed etiam quod satis magnus nobis suppetit librorum numerus, quibus Martialem illam legem respuere perlucide apparet. nam in librorum I, IV, V, VI, X, XI, XII exordio etsi vel unum, vel duo, vel plura ad imperatorem posuit epigrammata, tamen conclusit nullo. sed quis hos libros mutilos traditos esse ad nos coniciat?

A P XI 231, quod est ultimum in corpusculo Ammiani epigrammatum (226—231), intellegi nequit, nisi nomen ex praeeunte carmine suppletur:

230:

«Μασταύρων ἀφελὼν δύο γράμματα, Μάρκε, τὰ πρῶτα
ἄξιος εἶ πολλῶν τῶν ὑπολειπομένων.»

231:

«Θηρίον εἶ παρὰ γράμμα, καὶ ἄνθρωπος διὰ γράμμα,
ἄξιος εἶ πολλῶν, ὧν παρὰ γράμμα γράφῃ.»

hoc quoque epigramma in Marcum scriptum esse etiam ea re confirmatur, quod eundem locum communem praebet atque Mart. I 43, II 14 (cf. Duebneri ad A P XI 231 adn. vide p. 52.)

§ 2.

a) epigrammata contrarii argumenti coniunguntur.

I 26—28. *ἐπιγράμματα συμποτικά.*

* 26 M. invehitur in hominem. ebriosum qui plus quam decem quincunces bibit.
27 M. quid ipse ‚quincunces . . . post decem peractos‘ fecerit, narrat.

apparet Martialem haec duo epigrammata ex contrario conseruisse. etiam metrum alterius carminis differt ab altero. quam rationem eum saepe adhibuisse his illustremus exemplis. ubicumque asteriscum addam, metrum quoque discrepat.

I 111 de bono patrono.
112 de malo patrono.

III 32 de anu.
33 qualem puellam ipse cupiat.

VI 6 de adulterio lege vetito.
7 de adulterio lege sancto.

VI 60 d poeta *ἐφημέρῳ.*
61 d se ipso.

similiter:

VII 25
* 26

VII 48 de homine divite et avaro.
* 49 de se ipso.

VII 84 de sua gloria perenni.
85 de poeta, qui pauca sola belle facit epigrammata.

VIII 44 de Titulo cliente, qui ne senex quidem vita frui audet.
* 45 de convivio, quod ipse propter amicum reversum apparavit.

IX (29 ἐπίγραμμα σκωπτικόν in anum mortuam.
(30 carmen sepulcrale.
IX (51 de morte Lucani.
* (52 de die natali Q. Ovidi.
(66 de femina casta.
(67 de puella lasciva.
X (9 de sua gloria.
* (10 de senatore, qui, ut consul creetur postliminio, serviliter omnibus navat operam.
(11 de amico fucato.
(12 de amico sincero.
(26 carmen sepulcrale.
(27 de die natalicio.
* (30 de Apollinaris cenis magnificis.
(31 de Calliodoro, qui ut semel bene cenet, servum vendit.
* (48 se, quamquam parvos, non exquisitos convivis proponat cibos, tamen omnes, quos pro suis opibus valeat, comparare.
(49 de cenae domino, qui ipse bibit vinum eximium, convivis porrigit pessimum.
* (77 de homine improbo.
(78 de homine bono.
XI (11 de sua vita modesta.
(12 de homine novo, qui antea servus fuerat.
* (13 carmen sepulcrale.
(14 parodia carminis sepulcralis.
(90 Mart. respuit carmen, quod prisca verborum vetustate excellit, sepulcrale.
(91 M. ipse proponit epigramma sepulcrale, quod omnis archaismi immunis sermone cotidiano adhibito vitam spirat praesentem.
XII (17 de divitis vita.
* (18 de sua vita.
* (20 de incesta Fabulli cum sorore necessitate.
(21 de sua cum Marcella necessitudine purissima.
* (24 de bono amico.
(25 de malo amico.
similiter:
* (34
(35
* (31 de villa sua, qua Marcella eum donavit.
(32 de sarcinis Vacerrae misellis.
* (43 Mart. invehitur in lascivorum carminum versificatorem.
(44 Mart. praedicat delicatorum poetam versuum amatoriorum.

b) epigramma, quod reprehensionis causam habere poeta putat, subsequitur epigramma, quo se purgat.

Martialis quotienscumque de epigrammatis suis refert plerumque ἀόριστον πρόσωπον inducens huic epigrammati aliud solet anteire, cuius argumentum tale est, ut Martialis vituperationem se assecuturum esse ratus sibi purgandum esse putet. ex exemplis, quae admodum multa mihi praesto sunt, proponere satis habeo haec:

I 35 de versibus parum severis (: 34).

I 110 de epigrammatis longis (: 109).

X 59 : 58, III 83 : 82 de eadem re.

VI 65 de longo epigrammate hexametris facto (: 64).

X 9 gloriam ingentem se sibi parasse ‚undenis pedibusque syllabisque', i. e. disticho et hendecasyllabo : 8 et 7.

45 de lenibus suis epigrammatis et dulcibus (: 44).

longe alia res videtur esse in II 77, quo Martialis, quod carmina scribat nimis longa, sibi narrat crimini dari a poeta, qui quamquam nulla faciat epigrammata nisi disticha, tamen longiora, quia permulta in iis insint supervacanea. sed suis quamvis longis affirmat Martialis quicquam demi nequire. est sane, quod haesites, cum Martialis non, uti solet, praemittat epigramma longum. sed etiam hoc loco ordinem opinor poeta adhibuit non inconsultum. anteit enim unum, subsequuntur disticha quinque, quae illi epigrammatographo obicit παραδείγματα.

perridicule autem mihi quidem conceptum esse videtur ep. VIII 29:

«Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.
quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?»

praecedit enim epigramma undecim, sequitur quinque distichorum. an Martialis respicit ad hoc ipsum epigramma 29?

de I 44/45 infra disseremus.

c) epigrammata eiusdem vel similis argumenti coniunguntur.

I 52 et 53 in plagiarium sunt scripta. solum 53 praebet nomen furis, sed etiam 52 in eundem[1]) factum esse ex hoc intellego, quod domini servique, quae in 52 accurate explanata est,

---

[1]) nimirum Fidentini nomen fictum est. cf. p. 48.

metaphora etiam in 53 carptim repetitur. haec duo epigrammata deinceps a poeta esse concepta videntur.

II 21—23 in βαρύοδμον.
43—44 in malos amicos.
(91 Martialis imperatorem, ut ius trium liberorum sibi donet, obsecrat.
(92 Mart. se illud ius accepisse gloriatur.
III 12—14 de cena.
32—34 ἐρωτικά.
(42 de anu, quae fucando,
(43 de sene, qui tinctis capillis senectutem temptat fallere.
44—45 de malis poetis.
56—57 de urbe Ravenna.
69 usque ad finem epigrammata obscaena, quae M. ep. 68 indicit.
IV 3 pertinet ad idem spectaculum atque 2.[1])
V 1—3 ad imperatorem.
15—16 de nugis suis.
VI (1 si amicus Iulius Martialis librum ‚terserit aure diligenti', librum ‚minus anxium' in Caesaris manus venire ausurum.
(2 ad Caesarem.
28 et 29 de Glaucia mortuo.
62 et 63 de heredipetis. (verba $62_{,2}$: ‚cessas mittere munera' $63_{,5}$ repetuntur sic: ‚munera magna tamen misit.')
72 et 73 Priapea.
VII 1 et 2 de thorace imperatoris.
3 et 4 de malis poetis.
(1 et 2 de imperatore ad bellum profecturo.
(5—8 de imperatore ex bello redeunte.
11 et 12 de suis poematis.
21—23 de Lucani die natali.
42—47 de amicis suis.
44 et 45 de Caesonio Maximo. (cum aliis tum his epigrammatis optime illustratur id, quod Reitzensteinius dixit[2]): ‚Auch Martial treibt ja das schon von Antipater geübte Spiel, sich ein Thema stellen zu lassen und aus dem Stegreif zu behandeln.' sed quod ille vir doctus dixit talia epigrammata in edito libro separata esse alterum ab altero, et hoc exemplo et aliis (cf. IX 16/17, 23/24) demonstratur Martialem saepenumero talia epigrammata non inter se dirimere.

---

[1]) hoc Friedl. recte adnotat.
[2]) Pauly-Wiss R. E. s. v. ‚Epigr.' p. 108.

(51 de Aucto } qui libellos Martialis memoria tenens
(52 ad Auctum } recitat.
VIII 16 et 17 de causidico.
22 et 23 de cena.
IX 11—13 de Earino, Domitiani ministro vini.
IX 16 et 17 de eodem. carmina dedicatoria, quae sola forma inter se differunt.
23 et 24 de Caro quodam, qui corona Domitiani ornat imaginem.
43 et 44 de statua Herculis.
52 et 53 de Q. Ovidi die natali.
54 et 55 de charistiis.
64 et 65 de Hercule Domitiano.
X (2 de gloria sua perenni.
(3 et 4 de huius gloriae fundamentis:
(a) (3): probrosa ‚clancularii poetae' carmina suae famae nocere nequire affirmat Martialis.
(b) (4): sua carmina vitam, non tragicorum sapere tumorem poetarum.

epigrammati tertio respondet quintum (etiam quod metrum attinet): quisquis feminas pudicas vel viros nobiles ‚impio versu laedat', acerbissimis dignum esse poenis. adiunctum est epigramma ad Domitianum factum (6).

6 et 7 de imperatoris reditu.
de 23 et 24 cf. infra.

ad 27, epigramma natalicium adserit Mart. epigramma ad Ianum, deum initii (28).

(47 ‚vitam quae faciant beatiorem.'
(48 ad cenam simplicem vocat amicos. imprimis descriptio cenae comparanda est cum $47_{,7}$:
«. . . . . . . pares amici,
convictus facilis, sine arte mensa.»
56—58 de patronis arrogantibus.
(59 de libellis suis.
((60 de ludi magistro.
((62 ((61 carmen sepulcrale.
de ludi magistro.
(63 carmen sepulcrale.
(64 de libellis suis.
(103 ad municipes suos.
(104 ad librum, quem municipes adire iubet. (versus huius carminis decimus, quae prioris versu septimo dicta erant, iterat.)

XI 4—6 ad imperatorem.
epigrammate sexto libellum carmina propemodum omnia obscaena comprehensurum esse praenuntiat[1]).
9—10 de fratribus duobus, qui sunt poetae.
48 et 49 de Silio, qui Vergili monumentum renovat atque celebrat.
93 in malum } poetam.
94 in lividum }
XII 22 et 23 de puella lusca.
(64 de puero bello.
(65 de puella bella.
88 et 89 de vitiis corporis.

d) carmina propinqua secernuntur inter se.

non autem raro videlicet Martialem epigrammata, quorum res conspirant, alterum seposuisse ab altero. ex innumerabili paene numero haec affero exempla:
I 114 et 116 carmina in Antullam sepulcralia.
IV 35 et 74 de dammis, quae in amphitheatro inter se digladiantur.
V 2 et 4 de lege de adulteriis.
IX 74 et 76 de adulescentis mortui imagine puerili.
X 14 et 16 de patrono illiberali.
35 et 38 de Caleno et Sulpicia maritis.
50 et 53 de Scorpo praeclarissimo auriga mortuo.
XII 57 et 60 de vita rustica.

§ 3.
nonnulla epigrammata illustrantur.

sed haec hactenus. nam supervacaneum duco diutius immorari in re, quae exemplis allatis satis opinor multis explanata videtur esse. sed uberius disserere consilium nobis est de nonnullis epigrammatis, quae, si illam legem a Martiale persaepe usitatam adhibuerimus, melius nos interpretaturos esse speramus quam adhuc factum est.

non possum, quin praemoneam iam Lessingium nostrum, erroris convicisse eos, qui ep. I 40 ab praeeunte epi-

[1]) denuo de hac re praemonet ep. 15 et 16, quod post epigramma sextum inseruit carmina nonnulla demonstrativa, quae longe absunt ab lascivis.

grammate absolutum explicare sunt periclitati. cf. Less. VIII 502; cuius sententiam, ut par est, probavit Friedl. eadem fere res in I 5. adnotat ad locum Friedl. haec: ‚Dies Distichon legt M. dem Kaiser in den Mund; nirgend findet sich sonst bei ihm etwas derartiges.‘ sed si Martialem carmine, quod praecedit, ut nugas miti legat fronte, ab imperatore petiisse reputaveris, proclive est intellegere epigramma quintum non esse aliud nisi Domitiani responsum. verbis ‚tu das epigrammata nobis‘ imperator ipse carmen significat prius. quod autem imperator ipse loquens inducitur, non est, quod haesites. quam saepe in carminibus sepulcralibus verba facit mortuus[1]), in demonstrativis statua, in aliis[2]) alius[3]). interdum autem in Martialis epigrammatis dicit homo, quem Martialem ipsum esse permulti opinati sunt philologi. sed ex his poematis quicquam posse colligi praefracte est negandum. iam Lessingius de hac re omnino recte iudicavit. quae observavit, cum aliis locis firmantur tum XII 96 et 97. priore enim Martialis iocose refellit matronae opprobrium quod, quamquam ipsa idem quod pueri praebere velit, tamen maritus a puerorum amore removeri nequeat. contra posteriore epigrammate poeta maritum obiurgat de re, quam praeeunte viro licere contendit. I 5

accedo ad epigrammata explananda, I 13, 21, 42. ordiamur ab ep. 21. uti iam Friedlaender adnotavit, fieri potest, ut non de pictura, sed de poena malefici in amphitheatro pro spectaculo adhibita sit scriptum[4]). ita se rem habere equidem puto, quia etiam, quod sequitur, epigrammate describitur spectaculum idque de lepore intacto in leonis ore versante. adde, quod in epp. 14 et 44 idem leporis spectaculum describitur. quorum unicuique antecedit[5]) epigramma, quod utrum in spectaculum an in picturam sit factum, eius ipsius nequit diiudicari argumento. sed cum illa omnia inter se conspirare epigrammata ostenderimus, etiam priora illa de spectaculo intellegi posse duco probabile. I 13, 21, 42

longe mihi videntur aberrare a veritate Friedlaender, Gilbert, alii in ep. I 45 illustrando. hoc enim adiectum est epigrammati, quod supra commemoravimus, in leporis leonisque facto spectaculum. quod si quis reputarit et pro signo interrogationis posuerit punctum hoc loco: I 45

[1]) X 50 Mart. Scorpum mortuum alloquitur, 53 Scorpus loquitur ipse.
[2]) vide i.
[3]) cf. VIII 42, ubi patronus loquitur, IX 12, quo Earinus, Domitiani puer, loquens fit.
[4]) de hoc spectaculo sunt epigrammata VIII 30 et X 25.
[5]) inter 42 et 44 cur sit epigramma interpositum, proclive est intellectu. utrumque enim epigramma (43 et 44) est de cenae domino parciore.

«Edita ne brevibus pereat mihi cura libellis,
dicatur potius *τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.*»

quid Martialis dixerit, intelleget expedite: minoris esse negotii de eadem re facere epigrammata multa quam nova semper condere argumenta. (de lepore enim illo narrat Martialis: I 6, 14, 22, 44, 48, 51, 60, 104.)

III 37 III 37 melius duco intellegi cum praecedente coniunctum. quo priore Martialis se quamquam diu cliens sit Fabiani, tamen tironis instar illum, quocumque eat, sequi opus esse conqueritur. si hoc reputaris, elucidum fiet, cur patroni (ep. 37 enim Martialis, quae apud unum expertus est patronum, transfert ad omnes) irascantur; aliter me in verbo ‚irasci' haesiturum esse fateor.

V 12 V 11 et 12 de Stella amico. sed cum epigramma 11 facile intellegatur, de verbis

12,$_{6}$: «uno cum digito vel hoc vel illo
portet Stella meus decem puellas.»

sententia videtur incerta esse. primum quidem manifestum est illa verba ad praecedentis carminis verba respicere haec:

(1) ‚Sardonychas, zmaragdos, adamantas, iaspidas uno
versat in articulo Stella, Severe, meus.»

sed licet etiam in illo epigrammate (12) Martialem de Stellae anulis verba facere statuamus[1]) (quod me non posse probare infra demonstrabo), cur poeta decem ipsos anulos memorat? qua in re quaestionem quamquam instituerunt viri docti permulti, tamen non habeo, cuius sententiam sequi possim. Friedlaender cogitat de novem musis et Stellae amica, King de novem musis et Minerva, alii aliter. sed haec omnia, quamquam summae sagacitatis sunt, tamen falsa iudico. itaque ad aliam interpretationem accedamus. quoniam alterius carminis verba supra commemorata respiciunt ad antecedens epigramma, opinandum est totius epigrammatis argumentum simile esse illius. sed cum epigramma verbis ‚decem puellas' concludatur atque haec verba cum argumento quod exspectamus non conspirare videantur, in eis acumen inesse statuendum est. sed quod est hoc acumen? quod ut intellegamus, videre opus est, quid Martialis nobis narret epigrammate, quod fecit anno fere post: VI 21, ubi poeta Venerem his verbis Stellam allocutam esse refert:

«Tu ne quid pecces, exitiose, vide.
saepe ego lascivum Martem furibunda cecidi,
legitimos esset cum vagus ante toros.
sed postquam meus est, nulla me paelice laesit . . .»

---

[1]) Friedlaender a. l.: ‚Vielleicht die neun Musen und Stellas Geliebte Violentilla (auf einem mit 10 Steinen besetzten Ringe).'

cum Stella non sit persona a Martiale ficta, ex carmine allato concludere licet Stellam ante nuptias persaepe aliarum amore incensum esse puellarum. adde, quod vocabulum ‚decem' non aliter atque vernacula lingua a Romanis adhibitum est ad numerum non satis certum significandum. atque hunc vocabuli usum ipsius sermonis cotidiani proprium fuisse bene adnotant Kießl.-Heinze ad Hor. epp. I 18,$_{25}$. praeterea monendum est Martialem, quippe qui usquequaque sermonem cotidianum adhibuerit, ipsum ita, ut dixi vocabulum usurpasse cum alibi tum IV 46,$_{19}$; IV 66,$_{4}$; VI 8,$_{2}$; VIII 7,$_{2}$. redeamus nunc ad epigramma, unde abscessimus. nil obstare opinor, quominus illas ‚decem puellas' Stellae adamatas fuisse coniciamus. nam vocabulum ‚decem' *καθ' ὑπερβολήν* intellegendum esse quis est quin concedat? namque Stellam uno digito non decem anulos portasse manifestum est, praesertim cum antiquos anulos multo fuisse latiores quam nostros sciamus. solum id incertum haud scio an manere possit, utrum illae puellae metonymice nominatae sint pro anulis earum effigie ornatis an in Latina quoque lingua exstiterit illa, quam nos adhibemus, locutio vulgaris ‚an jedem Finger zehn Mädchen'.

si igitur, quam dedimus, interpretatio vera est, hoc loco, ut alibi [1]), Martialis duo carmina ita coniunxit inter se ut alterius, quamquam argumentum prioris esse simile videtur, tamen de improviso sententia iocose vertatur, quae figura ‚*ἀπροσδόκητον in summa*' nominanda est.

V 72 et 73 Martialis malum poetam cavillatur. liceat prius epigramma proponere: V 72

«Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.»

dilucidum est Martialem his verbis invehi in poetam qui re vera Bacchi matrem ‚Tonantem' dixit. nam aliter, quod *γελοῖον* in epigrammate inesset, nescirem. altero autem carmine se poetae, quem *κατ' ἀντίφρασιν* Theodorum nuncupat[2]), suos libros non donare affirmat, ne ille sibi donet suos.

sequitur, ut de X 24 pauca explicem, quod nonnullius mihi videtur esse momenti hoc epigramma cum praeeunte coniungere. utrumque enim epigramma de die natali est, illud de Antoni Primi, hoc de Martialis. dextre observarunt viri docti Martialem Ovidi aliorumque secutum vestigia pro lustro dixisse Olympiada. X 24

---

[1]) cf. X 73—74, ubi eum denuo togam mendicaturum esse exspectamus, dum ultimo verbo nobis poeta deridens nuntiat se nihil rogare nisi — dormire. XI 13—14. illud est pulcherrimum epigramma sepulcrale. contra 14 subito hoc genus demonstrativum poeta in risum devertit. praeterea adde, quae contuli p. 59 sqq.

[2]) cf. p. 48.

unde intellectum est Antonium Primum (ep. 23) agere diem natalem septuagesimum quintum. ad hanc aetatem optime quadrare verba ‚placido aevo' et quod senem mox diem supremum obiturum esse poeta narrat, recte memoravit Friedlaender. sed, quaerat quispiam, qua de re Martialis quinquaginta septem annos natus genium, ut sibi addat ‚bis novenos annos', orat atque obsecrat? nam pueritiae, iuventutis, senectutis areas singulas vicenorum quinorum spatio annorum definitas esse unde potest concludi? adice quod Martialis septuaginta annis et quinque peractis satis se vixisse fatetur:

«sed vitae tribus areis peractis
lucos Elysiae petam puellae;
post hunc Nestora nec diem rogabo.»

et quod Antonius quoque ultra illud tempus non diutius vivere cupit. quid plura? Martialis carmen 24 concepit respiciens ad epigramma, quod fecit in Antonium. quia hic in septuaginta quinque annorum aetate acquiescit, Martialis, ut idem sibi contingat, optat. quod cum exploratum sit, non possumus, quin sententiam refutemus eorum, qui ‚aureis' lectionem (‚areis' Aldina) nescio quo pacto solam ad nos delatam retinendam esse censent.

Curriculum vitae.

Natus sum Ericus Pertsch Berolini a. d. VIII. Kal. Sept. 1889 patre Henrico, matre Emma e gente Goette, quos superstites summa qua decet pietate colo. fidei addictus sum evangelicae. elementis litterarum imbutus per septem annos gymnasium frequentavi Ascanium Berolinense, quod Ribbeckio mortuo regit Busse. anno 1905 parentes in pagum migraverunt prope Berolinum situm, cui nomen est Gr.-Lichterfelde. ibi gymnasium adii Schilleri, quod tum Waßnero directore florebat. vere anni 1907 maturitatis testimonio instructus civibus universitatis Fridericae Guilelmae academicis adscriptus sum et studiis imprimis operam navavi philologis. docuerunt me viri doctissimi: H. Delbrück, Dessau, Dessoir, Diels, Erdmann, Geiger, Helm, Hirschfeld, Imelmann, Kekule de Stradonitz, Lasson, Ed. Meyer, P. Meyer, R. M. Meyer, Münch, Ed. Norden, Riehl, Roethe, E. Schmidt, M. C. P. Schmidt, W. Schulze, Sieg, Thiele, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Woelfflin.

ad exercitationes me admiserunt philosophicas Dessoir, ad iuridicas Kuebler, ad archaeologicas Preuner, ad grammaticas W. Schulze. proseminarii philologici sodalis fui per duo semestria inferioris, per tria superioris ordinarius. examen rigorosum sustinui Kal. Iun. 1911.

omnibus viris doctis, qui optime de me meriti sunt, gratias ago maximas, imprimis autem quanta opera quantoque consilio Norden me adiuverit, qui huius commentarioli auctor fuit, et quam libenti animo de Wilamowitz mihi de rebus quas tractavi interroganti responderit me numquam obliturum esse pronuntio.

denique, ut mos est tralaticius, me societatis philologorum Berolinensium sodalem esse profiteor gratissimo animo.